



De cultu publico terrae Dei Liduinae Virginis Schiedamensis sanctae nuncupatae apostolica auctoritate approbando

<https://hdl.handle.net/1874/236729>

mm 13755



MEMORIALE

DE SERVAE DEI LIDUINAE, VIRGINIS SCHIEDAMENSIS,

SANCTAE NUNCUPATAE,

VITA, MIRACULIS ET CULTU.

**DE CULTU PUBLICO
SERVAE DEI LIDUINAE VIRGINIS SCHIEDAMENSIS**

SANCTAE NUNCUPATAE

APOSTOLICA AUCTORITATE APPROBANDO.

LIBELLUS SUPPLEX

QUEM

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PONT. IX

GLORIOSE REGNANTI

OBTULIT

GERARDUS PETRUS WILMER

EPISCOPUS HARLEMENSIS.

M.D.CCC.LXXIII.

SCHIEDAMI,

Typis Fratrum J. et C. LANGENDAM.

LIBELLUS SUPPLEX, SS. DOMINO PIO PAPAE IX^o AB EPISCOPO
HARLEMENSI OBLATUS.

Beatissime Pater!

Sanctitati Tuae infrascriptus Orator, Episcopus Harlemensis, summa cum
veneratione hisce ardentissimum animi votum exponit.

Saeculo XIV^o misericors Deus Christi fidelibus, praesertim Hollandis, divinae
gratiae illustrissimum documentum et summae virtutis exemplar ostendere voluit
in veneranda virgine Schiedamensi, vulgo *Sancta Liduina* nuncupata.

Haec enim, tum variarum splendore virtutum, maxime vero heroica patientia,
qua, amore Dei, inauditam corporis animaeque afflictiones pertulit, neque minori
proximorum dilectione, tum prodigiis et miraculis ante et post mortem ita in-
claruit, ut ab iis temporibus usque ad hodiernum diem non tantum apud nostra-
tes, sed et longe lateque apud exteror de ejus sanctitate et miraculis publica et
notoria perstiterit fama.

Praedicta omnia in *Memoriali*, hisce supplicibus litteris adnexo, latius evolu-
vuntur et probantur tam ex *Actis Sanctorum* Bollandianis quam ex aliis fide
dignissimorum virorum scriptis. In quorum testium serie, tum personarum dignitate,
tum judicii qualitate, eminent immortalis Praedecessor Sanctitatis Tuae, fel.
mem. Benedictus XIV, magis etiam, quem Doctoris Ecclesiae titulo nuper or-
nasti, Sanctissimus Episcopus Alphonsus Maria de Liguorio.

Eodem *Memoriali* ostenditur, hanc Virginem, ab immemoriali tempore, cultu
publico honoratum esse et honorari, ideoque ejus causam comprehendi inter
casus, ab Urbani VIIIⁱ, Pontificis Maximi, Decretis notissimis exceptos.

Quod vero magnopere dolendum est, Beatissime Pater! hucusque, quae
temporis regionisque nostrae calamitas est, formalis approbatio Apostolicae Sedis
pro cultu publico, Servae Dei Liduinae legitime praestando, omnino desideratur:
plura interim indies fidelium erga hanc Virginem crescentis devotionis prodeunt
argumenta, praesertim postquam, Sanctitate Tua benignissime annuente, atque
Illustrissimo apud Neerlandiae Regem Apostolicae Sedis Internuntio, ex Tuac
Sanctitatis delegatione, rite fausteque rem procurante, plures eaeque spectabiles
venerandae Liduinae reliquiarum partes in dioecesim Harlemensem et urbem
illius natalem, Schiedamum, reportatae fuerunt; hoc enim insigni beneficio ar-
dentius crevit desiderium, ut, quod majores nostri, sicut in *Memoriali* osten-
ditur, jam diu antehac obtainere sperarunt, nobis, humiliter flagitantibus, contingere
tandem liceat.

Hisce de causis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad augendum Servae Dei
Liduinae honorem, utque omnes, qui aerumnis afflantur, omnes, qui proximo

misericordiae operibus succurrere debent aut student, illius Virginis exemplo et meritis, eo perseverantius, Deoque gratori modo, pati bonumque operari satagant, Orator infrascriptus, tam suis, quam cleri, devotorumque fidelium, suae curae creditorum, votis obsequens, humillime Sanctitatem Tuam hisce exorat et enixe precatur, ut, postquam Sacrae Rituum Congregatio Decretum, de quo in precibus, auctoritate Tua fuerit confirmatum, tunc impertiri digneris pro Dioecesi Harle-mensi facultatem recitandi Officium proprium Servae Dei Liduinae, Missamque in ejus honorem celebrandi (secundum formam schedulae, huic supplici libello adjunctae), et quidem pro universa praedicta Dioecesi sub ritu duplicis minoris, pro civitate Schiedamensi vero, ejusdem Dioeceseos, quum Serva Dei ibidem èt nata èt defuncta sit, ejusque insigniores reliquiae ibi serventur, sub ritu superioris classis, utque in diem, quo praedicta deinceps peragi liceat, constituere velis et faveas 14^m Aprilis, ejusdem Virginis obitu consecratum.

Placeat, Beatissime Pater! Sanctitati Tuae, has meas gregisque mei ardentissimas preces, tanta cum fiducia oblatas, benevole excipere; beneficiorum utique, sed et gaudiorum nos Sanctitas Tua cumulo donabit; nihil enim nobis optatus erit quam ut memoriam Servae Dei Liduinae, a majoribus nostris acceptam, atque hoc insigni munere a tanto Pontifice decoratam, cum Tui piissima recordatione aeternò conjuçtam, futuris denuo saeculis tradere valeamus.

Quod intimo animo gaudemus, caeteri omnes Nederlandiae Episcopi, insuper Archiepiscopus Mechliniensis, nobis adhaerendo, hisce nostris humillimis precibus etiam suas conjunxerunt.

Interea Deum Optimum Maximum pro salute Sanctitatis Tuae, pro Sanctae Matris Ecclesiae triumpho, flagrantissimis votis exorare non cessamus; feliores tamen nos existimabimus, si, ad haec divinae gratiae munera obtainenda, etiam Sanctae Liduinae intercessionem implorare poterimus.

Sanctitatis Tuae

Harlemi,
die 9^a Maii 1873.

famulus humillimus et devotissimus filius
† G. P. WILMER, Ep. Harlemen.

LITTERAE SUPPLICES CETERORUM EPISCOPORUM NEDERLANDIAE.

Beatissime Pater!

Nos infrascripti, considerantes, ad incrementum Christianae pietatis valde conducere, quod cultus publicus, Liduinae, Virgini Schiedamensi, vulgo Sancta nuncupatae, a tempore immemoriali jam praestito, a Sede Apostolica approbetur, et perpendentes, pietati etiam et aequitati maxime consentaneum esse, ut illa Virgo in omnibus iis Nederlandiae partibus, quibus jam pro Sancta antea habebatur, deinceps eo quem Apostolica Sedes approbaverit modo colatur, supplicibus Episcopi Harlemensis, ea de re ad Apostolicam Sedem directis, litteris adhaerentes, Sanctitatem Tuam cum omni reverentia rogant, ut Officium proprium et Missam in honorem ejusdem Sanctae respective recitandi et celebrandi facultatem, eâdem formâ ac pro Dioecesi Harlemensi, sub ritu duplicis minoris, in perpetuum pro die 14^a Aprilis etiam nostris Dioecesisbus benigne concedere dignetur.

Cum praedicta gratia, Apostolicam benedictionem nobis nostrisque gregibus humillime deprecamur.

Sanctitatis Tuae obedientissimi in Christo filii.

Die IX Maji,
anno 1873.

† ANDR. IGN. SCHAEPMAN, Archiep. Ultraj.
† J. ZWIJSEN, Archiep. Ep. Buscod.
† J. A. PAREDIS, Ep. Ruraemund.
† J. VAN GENK, Ep. Bredanus.

LITTERAE SUPPLICES ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS.

Beatissime Pater!

Quam a Sanctitate Tua humiliter exorat gratiam Illus trissimus ac Reverendissimus Episcopus Harlemensis, ut nempe, postquam S. Congregationis Rituum Decretum, de quo in ejus precibus, auctoritate Tua fuerit confirmatum, tunc impertiri digneris pro Dioecesi Harlemensi facultatem recitandi Officium proprium Sanetac Liduinae, Missamque in ejus honorem celebrandi, hanc Venerabili Antistiti illi ejusque Coëpiscopis Neerlandiae concedi, vehementer opto, quum Reliquiae S. Liduinae a tribus fere saeculis in Dioecesi mea Mechliniensi quieverint, maximaque earum pars ibidem hodie adhuc quiescat.

Preces igitur meas precibus Reverendissimi Episcopi Harlemensis jungo, ac benedictionem Apostolicam pro me meisque a S. T. enixe imploro.

Mechliniae, 10^a Maii 1873.

L. S.

† V. A. Arch. Mechlin.

Quum praeclara Dei famula Liduina, virgo Schiedamensis, jam antehac notorie publico religioso honore culta sit, ideoque, ut ab Apostolica Sede publicus ei cultus decernatur, per modum tantum extra-ordinarium, id est *per viam cultūs* procedi possit, et consequenter fama sanctitatis et miraculorum ejus, insuper cultus ei praestitus absque tamen praejudicio Decretorum Urbani Papae VIIIⁱ probari debeant, expedire visum est, subsequenti *Memoriali*, in compendii forma exponere, quid super praedictos articulos ex historicis documentis, testimoniis non recusandis et notoriis factis liqueat et pateat.

Proœmium.

Inelyta Virgo, de cuius vita, virtutibus, miraculis et cultu hic agendum est, vulgari idiomate antiquitus *Lidewy* et *Lydwich*, varia etiam vocabuli flexione *Ludivina*, *Ludovina*, *Lydewigis*, *Liduviges*, *Lydevidis* et *Lidia* nominata, communissime tandem *Liduina* vel *Lidwina* vocatur.

Nomen.

Nata est autem Schiedami (vernacule Schiedam), Hollandiae et modernae Harlemensis dioeceseos civitate, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo, quintodecimo Kalendas Apriles, Dominica Palmarum, et ipso antemeridiano tempore, quum in illius loci ecclesia, inter solemnia Missarum, Evangelium de Passione Domini cantabatur, qua re jam quasi præsagitum fuit, illam quae nascebatur puellam ejusdem Passionis insignem fore imitaticem.

Patria.
Nativitas.

A parentibus pauperibus sed piis sancte educata, vix septennis jam docilitate spiritus et religione, singulari etiam erga Deiparam Virginem devotione eminebat, eamque mox perpetuae virginitatis proposito imitari studuit. Quum itaque duodecennis, corpore formosa, animi dotibus conspicua, modestia perquam grata, a dignioribus et ditioribus ad conjugium invitaretur, tum his potentibus, tum patri, ad matrimonium hortanti, constantissime restitit, imo, ut ait fel. mem. Benedictus XIV^{us}, „Deum ardenter exoravit, ut, si alia via avertendi coniugii non suppeteret, totum suum corpus morbis afficeretur.” ¹⁾ Quum autem

Juventus sancte peracta,
et virginitatis studium.

1) In celeberrimo opere *De Servorum Dei Beatificatione*, Lib. III, Cap. XXX, 7.

Lapsu gravi-
ter laesa.

Misere con-
tinuis morbis
torquetur.

Dolores pri-
mo invitior,
mox fortissime
ac lubentissi-
me perfert, et
Christo sese sa-
cificant perf-
petuo compa-
titur.

Egregiae vir-
tutes, miranda
in proximum
charitas.

Supernatura-
lia ei dona pro-
pria.

Viventis ex-
istimatio.

decimoquinto aetatis anno ex prolixo morbo adhuc langueret, accidit ut, amicarum coaequalium molestis precibus tandem annuens, Hollandorum patrio more, soleis ligneis subferratis induita, super hiemalem glaciem aliquando discurreret; ubi, alterius puellae imprudentia, corruit et dextri lateris costa cadenti est confracta. Eam laesionem, nunquam sanatam, statim et per totum reliquum vitae tempus, annos nempe triginta et octo, secuta est ingens morborum et cruciatuum series, quos primo quadriennio interdum paullo dejectiori, deinde vero usque ad extremum spiritum heroico animo toleravit. Febri violenti et diu fere continua, gravissimo capitis et multiplici dentium dolore, hydropisi, calculo, intestinorum per particulas perditione, vermium scaturigine, ulceribus afflictata, plurimis postremis martyrii sui annis nullo fere cibo corporali vel potu atebatur, neque somnium capiebat, ita ut nonnisi speciali divina ope tam diu ei vita protracta vel potius mors continuata credatur, atque (ejusdem sapientissimi Pontificis Benedicti verba sunt) „admiratione revera dignum sit, quomodo, quum omnia „eius membra inauditis doloribus essent obnoxia, invictae patientiae signa praetulerit.”¹⁾ Interea piissimae coelestium mysteriorum, et praesertim Christi patientis, meditationi assidue intenta, dum ipsa vel maxime patiebatur, Deo non solum gratias agebat, verum ipsas aegritudines augeri magis quam minui peroptabat.

Humilitatis, obedientiae, mansuetudinis exemplar, Dei amore flagrans, singulari simul proximorum, inimicorum licet et consequentium, dilectione prae-fulsit; pauperes, quamvis ipsa pauper, eleemosynis sublevabat, eos qui qualunque spirituali adjutorio indigerent, hortabatur vel consolabatur, sollicitae orationis ope, passionum suarum generosa oblatione, imo interdum a Domino petita et obtenta dolorum aggravatione iis subvenire gestiebat, maxime si de convertendo aliquo peccatore vel de anima e purgatorio solvenda agebatur. Solita etiam erat dicere in quotidianis suis infirmitatibus, sese usque ad mundi finem eas perpeti velle pro cuiuslibet peccatoris conversione vel pro cuiuscunque animae de purgatorio liberatione.

Quis ergo miretur, hanc tam eximiae, tam probatae, tam exercitatae virtutis virginem, dum adhuc in vivis ageret, a Deo insolitis superni ordinis favoribus et gratiis confortatam, remuneratam, illustratam fuisse? Altissimae enim, inter alia, contemplationis dono gaudens, multoties in extasin rapiebatur, coelestibus saepe apparitionibus et imprimis familiari Angeli sui societate et colloquio recreabatur, cordium secreta perspiciebat, prophetico interdum spiritu absentia et futura revelabat, rerum eventu postea illius scientiae coelestem originem comprobante.

Permuli itaque homines, vel Liduinae mirandarum infirmitatum vel heroicae virtutis vel prodigiorum, quibus illius sanctitatem Deus ipse manifestam reddere dignabatur, fama commoti, eam visitarunt, ut eorum quae de ea narrabantur

1) Loc. cit.

veritatem per seipsos agnoscerent vel per virginem illam in tribulatione solamen adipiscerentur. Inter quos numerantur Ducissa Margarita, Wilhelmi sexti, Hollandiae Comitis, uxor, Joannes Bavarius, ejusdem Principis frater et Matthias, Episcopus Biduanensis, Frederici de Blankenheim, Ultrajectensis Episcopi, adjutor.

Et sic quidem ob singularem sanctitatem longe lateque nota et, praesertim concivibus, quam maxime dilecta, in humilitate nihilominus ceterisque virtutibus perseverans, passionibus tandem ac meritis consummata, pie obiit feria tertia infra octavam Paschae, duodecimo Kalendas Majas, anno Domini millesimo quadragesimo tricesimo tertio, aetatis suae quinquagesimo tertio.

Corpus illius, mox post mortem, novo prodigio, integrum, vulneribus, ulceribus, morborum vestigiis expers, et decorum repertum, tanto hominum concursu, ex diversis civitatibus, Roterodamo, Delphis, Leida, Brila aliisque circumiacentibus oppidis et locis ad voluntum, visitatum et celebratum fuit, ut eorum numerus ad multa millia taxaretur; quarto post transitum die, solemnni ritu sepultum fuit in australi plaga coemeterii ecclesiae parochialis Schiedamensis, S^o. Joanni Baptista dicatae, in fossa, desuper opere lapideo opera.

Haec omnia, exceptis duobus Benedicti XIVⁱ textibus, deprompta sunt ex binis Liduinae *Vitis*, quae reperiuntur in *Actis Sanctorum* Bollandianis, tomo secundo Aprilis, pagg. 270—363, et conscriptae fuerunt a Patre Joanne Brugmanno, Ordinis Minorum de Observantia, viro ob egregiam virtutem et eloquentiam celeberrimo, Liduinae nostrae coaetaneo, et de seipso testante: se *Vitas* predictas caute concinnasse ex fontibus primariis et testimoniis fide dignissimis. „Noverint” sic ait in *Prologo Vitae prioris*¹⁾, „noverint qui haec lecturi sunt, me eadem percepisse pro majori parte ex ore Domini Joannis Walteri de Leydis, qui octo fere annis Confessarius istius Virginis fuit, atque haec ipsam revelante didicerat; partim ex scriptis Joannis Gerlaci, cognati ejusdem Virginis, qui multis annis in domo ejus commoratus est, partim vero ex littera quam Rectores civitatis Schiedamensis, in testimonium infirmatum ejus tradiderunt Domino Joanni Angeli de Dordraco, Ordinis Praemonstratensis de Marienwart, qui pro tunc erat Curatus ecclesiae civitatis ejusdem, pauca vero ex aliorum fide dignorum, omnia tamen per correctionem vel approbationem praefati Domini „Joannis, Confessoris hujus Virginis et Joannis Gerlaci. Quae autem secundum veritatem conscientiae eorum percipere potui, cautius, ut valui, scripto commendavi.” In *Prologo Vitae posterioris*²⁾ medicum quendam, Wilhelmum Sonderdanck, qui, ut ait Brugmannus, „vivam Liduinam viderat, alloquenter et respondentem audierat,” inter praecipuos, quibus testibus et auctoribus usus fuerat, nominavit.

Publicum testimonium magistratum Schiedamensium, a Brugmanno supra allegatum, et Latine ab eodem in fine posterioris *Vitae*³⁾ transscriptum, in Appendix integrum exhibebimus sub littera A, addito tamen altero testimonio Joannis, Bavariae Ducis, qui predictas Schiedamensium litteras authenticas

Pie defunctae

corpus gloriosum honorifice tumulatur.

Praedictorum auctoritas.

1) *Actt. Sanctt. Boll.* Tom. cit. p. 271, n^o. 4.

2) *Actt. Sanctt. Tom.* cit. pp. 304—305, n^o. 10 et 11.

3) Ut apud Bollandianos reperitur Tom. cit. pp. 305—306.

declaravit, sicut patet ex antiquo earam apographo, lingua originali Hollandica confecto, quod ex communione Regni Nederlandiae Archivio, paucis abhinc annis, eratum et typis editum est.

Ex quibus litteris cuivis utique patebit, amplissimos illos viros Liduinam vita, morbis, aeraannis mirabilem prorsus judicasse, divinamque ei cooperantem virtutem agnoscisse. Veritatem eorum omnium quae hucusque in rem protulimus, confirmavit etiam alter hujus virginis coaetaneus scriptor, quem nominare sufficit, Thomas Kempensis, in *Vita B. Liduinae*, (inter cetera ejus *Opera*) a Sommalio prium edita; quem gravissimum sane testem maxima cum fiducia afferimus et deinceps pluries advocabimus.

Ex probatis ergo testimoniiis, e tam probatis auctoribus desumptis, certo liquere videtur: de Liduinae virtutibus et miraculis, tempore vitae ejus usque ad mortem, publicam et notoriam famam exstitisse.

Fama sanctitatis et miraculorum a tempore obitūs usque ad annum 1615.

Post venerandae virginis Liduinae exequias, multi visitationibus et diversis oblationibus sepulchrum ejus in coemeterio, uti diximus, effossum juxta parietem ecclesiae, mox honorarunt et honorare perrexerant¹⁾. Rationem addit Thomas Kempensis²⁾, quia nempe, „se a variis langaoribus et infirmitatibus curatos asserebant.” Ideo (sic pergit cum Brugmanno) „Rectores civitatis et ecclesiae magistri, pro honore Dei dilatando, anno post mortem virginis vix clapsi, millesimo nempe quadragesimo tricesimo quarto, in specialem ejus memoriam, capellam lapideam, tendentem a choro, inter duo pilaria seu columnas ecclesiae, ad sepulchrum, super tumbam ejus construi fecerunt, cum altari juxta sepulchrum.”

Altare illud Sanctissimae Trinitati sacrum erat, ut patebit ex binis documentis, in *Appendice nostra B et C notatis*³⁾.

Ad latus tamen altaris pictura Liduinae erat, ab Angelo ramum olvae accipientis et Crucem laevam tenentis; supra aram: ejusdem imago, stantis, coronatae, Crucem in pectore gestantis⁴⁾.

Ad parietem ecclesiae eadem virgo depicta erat, lecto decumbens, implorantibus opem ejus hominibus diversae conditionis et sexus⁵⁾.

In vitrea fenestra, sacellum illuminante, depicta erant et vita et miracula Liduinae, illaque pictura diu post religionis mutationem, anno nempe 1615^o, pro parte saltem, superstes manserat⁶⁾.

Sepulchri, ante aram existentis, orificium, aliquot pedibus supra terram erat opertum lapide magno, effigie n. Liduinae insculptam ostentante⁷⁾, a duobus

1) Brugmannus, apud Bollandistas, tom. cit. p. 391.

2) Op. cit. Lib. II. C. XXXII.

3) *Append. litt. B*, sub n^o. 2. et *C.* sub n^o. 3.

4) *Append. litt. C.* n^o. 6 et 8.

5) *Append. litt. C.* n^o. 9.

6) *App. litt. B.* n^o. 1. et *C.* n^o. 7.

7) *App. litt. C.* n^o. 11.

Angelis coronatae, quod cuique insipienti patet, quia lapis, ut infra latius expliqabimus, in Catholico graotrophio superstes servatur, et addita delineatione describitur ab acatholico theologiae professore W. Moll in opere quod vernaculâ lingua edidit titulo: *Vita Joannis Brugmanni* (Amst. 1854).

Circum sacellum Liduinae, pictae tabulae appensae erant viginti, partes vitae ejus praecepias oculis exhibentes, quas ut *postremum* Brugmanni de illa scriptum typis prodiret ornatius, Rectores fabricae ecclesiae Schiedamensis, totidem tabellis ligneis excipi et libro illi imponi curaverunt. Sic testatur Daniel Papenbrochius, celeberrimus Bollandista¹⁾, ubi agit de editione quae anno 1498 Schiedami excusa est.

Ad parietem ecclesiae etiam ex ferro prominente suspendebantur cereae imagines membrorum, navium, personarum, quae res *ex voto* oblata vel anathemata nominari solent, in gratam memoriam beneficiorum vel adjutorii quae a diversis, Liduina intercedente, a Deo obtenta erant²⁾.

Multis enim miraculis sanctitatem illius etiam post mortem Deus ostendere et illustrare voluit, teste eodem praelaudato Thoma Kempensi (in sua *Vita B. Lidewigis*, Lib. II, Capp. XXXII et XXXIII), ex quibus „tria”, ut ait, „notissima et ex fide dignorum perhibentium testimonium verissima a se judicata et per ora multorum relata,” imo quae uno eodemque post Liduinae obitum quintodecimo anno, id est Incarnationis Dominicae „millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo contigerant” ampliori narratione in praedictis sui IIⁱ Libri Capitibus conscripsit. Textum integrum adjeimus in *Append. lit. F.*

Anno 1498 magistri fabricae ecclesiae primariae Schiedamensis, *postremum* Patris Brugmanni de Liduinae *Vita* scriptum suis expensis typis edi curantes, non solum in fine libri monuerunt, se id grati animi causa fecisse eo, quod hujus virginis ope civitatem Schiedamum armatorum quadam hostium invasione liberatam crederent, sed et expressis verbis affirmarunt, ibidem indies advenarum concursum fieri, hosque peregrinantes ab infirmitatibus et defectibus corporalibus manifestissime curari³⁾; addiderunt, sc̄ eo etiam fine Brugmanni historiam typis mandasse, ut hujus virginis venerabile nomen ubique, praesertim doctis, magis innotesceret, et sic facilius, plurimorum nempe collatis viribus, sterneretur via ad ejus Canonizationem ab Apostolica Sede aliquando impetrandam, quod quidem opus ipsos per sese, ob suam inopiam, perficere non posse fatebantur⁴⁾.

Supra lapidem sepulchralem obsessi et languentes reclinati, pluries liberati fuerunt, etiam circa finem saeculi decimi sexti⁵⁾.

Plura miracula tempore elevationis reliquiarum Liduinae, anno nempe 1615, narrabantur, quorum testes oculares tunc vivebant⁶⁾; imo viri, fide dignissimi,

1) *Actt. Sanctt.* Tom. cit. p. 270.

2) *Append. lit. C.* n^o. 9.

3) *Append. litt. E.*

4) *Ibid. litt. E.* n^o. 403.

5) *Append. litt. C.* n^o. 12.

6) *Ibid.* n^o. 9.

qui praedictae effossioni seu elevationi testes adfuerant, eodem anno, in ipso authentico, quod ea de re confectum subscriperunt instrumento, disertis verbis haec inter alia affirmarunt: „ad quod [S. Liduinae] sepulcrum obsessos et „languentes curatos, oppidumque [Schiedamum] Divae interventu liberatum a „morbis et necessitatibus, superstites, ETIAM HAERETICI, meminerunt ac retulerunt „publice ¹⁾.

Animadvertisendum quoque est, praedictos Brugmannum et Thomam Kempensem non tantum narrasse quae de mirabili hac virgine acceperant, sed etiam, ut ex suprà citatis eorum scriptis appareat, famâ sanctitatis ejus post obitum perdurante et crescente, miraculorum, etiam quae post ejus mortem accidisse vulgo credebantur, veritate commotos, ex religione et devotione illos libros composuisse, in iisque Liduinam non vulgari virtutum paeconio laudasse, sed passim, et communis cuidam consuetudini obtemperantes, *Sanctam* et *Beatam* appellasse.

Idem praestiterunt alii tum ejusdem temporis tum duorum sequentium saeculorum, decimi nempe sexti et septimi, auctores, qui Liduinae vitae et miraculorum seriem vel seorsim ediderunt vel, sive integrum sive contractam, retulerunt in aliis operibus, in quibus de Servorum Dei vita, miraculis, reliquiis et cultu agebant; quae quidem scripta quum non solum Latino sermone sed variis linguis composta vel translata, inter doctos et indoctos, Hollandos et extraneos, divulgarentur, concludere licet, auctores illos vel eorum hominum pietati satisfecisse ad quos, diversorum regnum incolas, jam Liduinae nomen et fama pervenisset, vel certe iisdem scriptis effecisse, ut de hujus virginis sanctitate et miraculis religiosa persuasio longe lateque sparsa et aucta fuerit.

Praeter ceteros hujusmodi auctores, quorum infrà catalogum recensebimus ²⁾, tres potissimum, qui ad finem saeculi decimi sexti testes prodierunt, hoc loco nominandi sunt:

1º. Pater Laurentius Surius, Carthusianus, tum ob eximiam viri eruditionem et auctoritatem, tum quia ejus opus de *Vitis Sanctorum* ubique notum est, tum quia ipse doctissimus Summus Pontifex Benedictus XIV^{us} in supralaudato suo libro de *Servorum Dei Beatificatione* ³⁾ de nostra Liduina agens, lectorem plura scire cupientem etiam ad Surium remittit;

2º. Joannes Molanus, theologus ac Professor Lovaniensis; hic enim pluribus in operibus Liduinae nomen commemoravit et illustravit; ac primo quidem jam anno 1568 in *Annotationibus*, quas ad *Usuardi Martyrologium*, ab eo recognitum, edidit; ob cuius potissimum operis praestantiam celeber Cardinalis Baronius ⁴⁾ de Joanne Molano testatus est: „tanti viri, de Ecclesia Dei et veritate Catholica optime meriti, nec brevem scedula deperire aequanimiter patior: cui „(dicam ingenuo) istae omnia hac ex parte accepta fero, quod in densissimam „silvam primus ipse ingressus, mihi aliisque aditum patefecit: quo etiam nomine „cùm ego, tum eruditu omnes plurimum ei debere, lubenter agnoscimus et con-

1) *Append. litt. B. n^o. 2.*

2) *Append. litt. X.*

3) Lib. III. Cap. XXX, n^o. 7.

4) Cap. IX *Praefationis* suae ad *Martyrologium Romanum*.

„itemur.” Plura tamen postea Molanus de Liduina retulit in *Natalibus Sanctorum Belgii*, uti infrà et in *Append.* (litt. J.) ostendemus.

3º. Pater Petrus Ribadeneira, Soc. Jes. notissimus auctor et S. Ignatii immediatus discipulus; illius liber *Flos Sanctorum seu Vitae et res gestae Sanctorum ex probatis scriptoribus selectae*, cui Liduinae vitam intexit, Hispanico idiomate conscriptus, primo quidem anno 1601 (quoad hanc partem) editus, postea multoties recusus, et P. Danièle Papebrochio teste ¹⁾, in omnes pene linguas Europaeas traductus est.

Tandem adjungendum est, Sacerdotes illos et Catholicos alios, qui voto et voluntati piissimorum Belgii Principum, Alberti et Isabellae, parentes, anno 1615 Liduinae ossa, magno labore et periculo, Schiedami clam effodérunt et ex acatholicorum quasi manibus subducta in Belgium transtulerunt, id manifesto consilio peregisse, ut sacrae illae reliquiae in Catholicorum regionibus, sicut mox etiam factum est, exaltarentur et fidelium venerationi exponerentur, qua translationis occasione, ut supra jam indicavimus, plura Liduinae sanctitatem probantia illi in Hollandia commorantes, tum facta audierunt, tum pro veris didicisse testati sunt.

A tempore obitūs itaque usque ad praedictam ossium elevationem, anno 1615 peractam, id est per duo fere continua saecula, publica, notoria et constans exstitit fama de Liduinae sanctitate et de veritate miraculorum, ipsa interveniente, patratorum.

Restat ut de religioso cultu, per idem temporis spatium ejus memoriae praestito, quae ex historicis documentis constent exponamus.

Ac primo hic repetenda videntur quae eā de re jam antè, pp. 4 et 5, protullimus; quibus haec non minus notabilia addenda obveniunt.

In Schiedamensis ecclesiae sacello, in ejus venerationem, uti dictum est, supra ejus tumbam exstructo, Catholicorum tempore nemo unquam fuit sepultus, sed nobiliores oppidi et territorii in ambitu sacelli, devotionis gratiâ, sepulturam eligebant ²⁾.

Super lapidem sepulchralem, quemadmodum suprà descripsimus, ejus, a duobus Angelis coronatae, sculptâ imagine ornatum, stare vel incedere vetitum erat, sed quotiescumque aliorum corpora in praedicta ecclesia terrae mandarentur, et sacellum illud praetereundum esset, portatores coram eo sandapilam deponere brevemque saltem precationem facere pio usu non omittebant. Ita, initio fere praecedentis saeculi, retulit Cornelius Alkemadius in Commentario, de quo plura in *Appendice*, littera X. Singulis praeterea ammis „sacellum illud et quae in eo „exstabat hujus virginis marmorea tumba exornabantur, non” tamen ipsa obitūs anniversaria die, „decima nempe quarta Aprilis, sed die quarta Paschatis, et „tunc festum ejus celebrabatur cum solemnī *Sacro* et *Officio* de Trinitate (eo

Cultus per
idem tempus
praestitus.

1) *Actt. Sanctt.* Tom. cit. p. 270.

2) *App.* litt. C. n^o. 4.

"quod in canonem Sanctorum relata non esset a Romano Pontifice), cum concione tamen sub Sacro de ejus vita et passione.

"Habuit quoque conventus sororum Sti Francisci [Schiedami] altare consecratum in honorem Sanctae Lijdwijdt virginis, versus occidentem, "eo in loco ubi, lecto decumbens, Deo in hac vita serviisse" ferebatur.

Sic primus, quod sciamus, sed iisdem fere verbis scripsit Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii*, ad 14^m Aprilis ¹⁾. Gravius etiam pondus huic testimonio accessit:

1º. Ex quadam libello, ante annum 1591 Latine edito, cui titulus: *Kalendarium perpetuum Catholicorum, indicans omnia jejunia et festa per annum*. Sic autem ad 14^m Aprilem notatum occurrit: "Tiburtii, Valeriani et Max. Mart. Schiedami: Sancta virgo Liduina" ²⁾.

2º. ex instrumento quo Rev. Pater Franciscus Paludanus, Minorita, anno 1628, fidem fecit, se, jussu Rev. Patris sui Provincialis, in Hollandia et in ipso oppido Schiedamensi de cultu Liduinae nuper inquisitionem habuisse, atque a Catholicis illius civitatis et Rev. Patre Dominicano, ibidem plures jam annos commorato, hacc inter alia didicisse: "Supra illius [virginis] sepulchrum fuit "sacellum cum altari, ad quod altare in ejus honorem celebrari solebat Missa, "et feria tertia post Pascha in ejus honorem panis benedici, quo valde frequenter "utebatur et adhuc utitur populus, qui illo manducando solamen experiebatur "et experitur contra morbos et speciatim contra febres, sicut etiam bibendo "aquam putei, e quo ipsa Sancta bibere solebat. Et quotannis adhuc eodem die "panis benedicitur et dies illius a catholicis celebratur et Missa in ejus honorem "offertur" etc" ³⁾.

3º. Ex supplicibus litteris quas Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, anno 1629 pro *Liduinae Beatificatione* obtainenda ad Summum Pontificem vel revera (quod dubium est) misit, vel, uti constat, jam paratas mittere saltem decreverat ⁴⁾. Nempe, inter cetera, tum Molani tum Paludani asserta Archiepiscopus hisce confirmat: "Sacellum ei [Liduinae] honorificum in Ecclesia parochiali Sciedami "erectum cum altari, et in medio sacelli marmorata tumba, reliquiarum hujus "Virginis receptaculum. Historia etiam vitae ejus in tabulis depicta; annue ante "bella intestina per Belgium [ante annum 1572] sacellum et tumba in hono- "rem virginis exornata; festum ejus cum solenni Sacro de S. Trinitate et con- "cione de ejus vita et passione, in hebdomada Paschali quotannis celebratum. "Habuit conventus Sororum S. Francisci Sciedami altare, in ejus honorem "dedicatum. Panes in ejus honorem benedicti et aqua putei, de quo vivens bibit, "febricitantibus prodesse existimantur, et cingulum cilicinum energumenis."

1) Cf. *Appendix nostra*, litt. J.

2) Latinum exemplar frusta quaesiviinus; verba itaque descripsimus ex Hollandica versione, Antverpiae, cum ecclesiastica approbatione, evulgata: *Eewich Kalender der Catholycken waer vvt men mach kennen alle vasten-daghen en heylige daghen des jaers, vvt den Latyn int duutsch gestelt, ten profite van alle goede Christenen*. Antw. bij H. Wouters in de Cammerstrate in de gulden Sonne, 1591, in 12º, typis Henrici Svlingen.

3) Textum integrum, originali Gallico idiomate et simul Latinam versionem damus in *Append. litt. D.*

4) Integras dabimus in *Append. litt. H.*

Animadvertisendum quidem est, Molanum pro festo, Schiedami quo'annis solito, notasse: *quartam diem Paschatis*, Paludanum verò *tertiam post Pascha feriam*; Archiepiscopus Mechliniensis controversiam evitare forsan studuit, generali tantum voce utendo: „*in hebdomada Paschali*.“ Quum tamen Liduina 14^a Aprilis, id est *tertia* feria post Pascha anni 1433, hora circiter quarta post meridiem, obierit, illamque *tertiam* feriam quotannis recoli Paludanus in loco ipso praesens audierat, Molanus paulisper errasse videtur, nisi forte „*quartam diem*“ non „*quartam feriam*“ scribendo, Sabbatum Sanctum pro *prima Paschatis die* computare voluerit.

Certum est etiam, teste Molano ¹⁾, Schiedami, ante Catholicae religionis in Hollandiae persecutionem (anno 1572 inceptam) in Liduinae honorem Officium divinum in ejus festo die persolutum, idque, ut refert Paludanus ²⁾, durante persecutione, saltē usque ad annum 1627 a Sacerdotibus, etiam a Patre Dominicano, ibidem residente, privatim continuatum fuisse; sed non constat, 1^o. quale id Officium fuerit, quum scilicet Molanus illud *de Trinitate* commemoret, Paludanus vero hujus insolitae circumstantiae mentionem non faciat, et Officium quod, uti infrā dicemus, post translatas reliquias, a monialibus Bruxellensibus deinceps recitabatur, *de Communi Virginum* fuerit; 2^o. non constat, utrum unquam in Schiedamensi *ecclesia*, *publice* cantatum vel recitatum sit; quamquam enim Molani verba: „*festum ejus celebrabatur CUM SOLEMNI SACRO ET OFFICIO DE TRINITATE*“ id indicare putari possent, nam vox: „*solemni*“ simul de *Sacro* et de *Officio* intelligi licet, opponi tamen debet, Schiedamensibus incolis ea de circumstantia tempore Paludani, (anno 1627) nullam, ut ait, certam memoriam fuisse ³⁾.

Interea, luctuosissima tempestate, Catholica religione proscripta, saceris ubique profanatis, templa a dominantibus Calvinistis occupata manebant; Liduinae lapidem sepulchralem, memoriam tollere sperantes, ipsi inverterant et in ejus sacello jam duas, quod antea nunquam factum, mulieres alias tumularant ⁴⁾; mirari etiam licet, quod, aliorum locorum exempla non secuti, sacra ipsius ossa intacta reliquerint. Sanctitatis vero et miraculorum fama temporum calamitati superstes permanserat, non solum, ut suprà ostendimus, apud concives sed etiam apud exteros.

Ne ergo venerandis illis reliquiis, eo usque servatis, in posterum pejus quid accideret, sed ut potius unà cum Liduinae memoria in terra saltem aliena debito honore colerentur, Celsissimi et religiosissimi Belgarum Principes, Archiduces Albertus et Isabella, duodecennialium induciarum occasione utentes, sacra haec pignora e Schiedamensis ecclesiae sepulchro erui et ad se, Bruxellas, transferri mandaverunt. Pum opus aggressi aliquot Sacerdotes et laici, tam Hol-

Corporis re-
liquiae Schie-
damo Bruxel-
las transpor-
tantur.

1) App. litt. J.

2) App. litt. D.

3) App. litts. J et D.

4) App. litt. C. nis 11 et 5.

Ab Hollandiae Vicario Apostolico vindicatae.

landi quam Belgae, die 22^a Septembris anni 1615 id perfidere parati erant, sed, re per operosiores quosdam Catholicos importune divulgata, differre coacti sunt. Interim rumor sparsus erat, reliquias feliciter tunc revera abductas fuisse; quod audiens Philippus Rovenius, in Hollandia Vicarius Apostolicus, quia se inscio factum fuisset, graviter tulit, et in epistola quadam sic inter alia fuit conquestus et minatus: „nescio qua auctoritate id fecerint, cum Nobis a Sanct. Domino „specialibus litteris sit demandatum, reliquiarum in hisce partibus curam habere „ut sine nostro consensu non asportentur, imo per Nos, adhibitis etiam censuris „et poenis ecclesiasticis, constringantur depositarii vel custodes reliquiarum, eas „reddere Nobis. Velim itaque... N. N. moneri, ut reliquias illas Nobis restituat; ne „alioqui, secundum datas Nobis facultates, contra ipsum et complices procedere „cogamur”¹).

Hacc ideo tetigimus, quia exinde apparebat, Vicarium Apostolicum ossa Liduinae, quam in textu litterarum etiam *Sanctam* vocat, pro veris et proprie dictis reliquiis habuisse. Eo, ut credi licet, consentiente, die 15^a sequentis Decembris negotium meliori eventu successit; ossa enim, e sepulchro clandestine extracta, in cistam decenter ornatam recondita et obserata, in Brabantiam ad praedictos Archiduces transportata sunt².

Ab Archiepiscopo Mechliniensi recognitae, concessis Indulgentiis, cultui publico exponuntur,

Qui Principes mox Matthiam Hovium, Archiepiscopum Mechlinensem rogarerunt, ut probare vellet cultum, deinceps in Belgio Liduinae deferendum. Hujus autem sanctitatem et miraculorum famam ac veritatem Hovius Archiepiscopus plane constare judicavit, idque verbis et factis patefecit notissimo diplomate, quod anno sequenti 1616 Archiducum precibus concessit. Quum enim, ut ait, „sibi „expositum esset, hujus virginis „quam iterato *Beatam* vocat,” corpus ex haereticis „corum potestate vindicatum, idemque per Sacerdotes et testes idoneos exhumatum, elevatum et Bruxellam Dei favore esset translatum” ille „visis auditibus „que processu verbali, et depositione testium, miraculorum multitudine, tam „ipsa vivente quam post obitum, ejus interventu, patrata, consideratisque quae in „similibus considerari solent et debent, auctoritate sua ordinaria permisit, dictas „B. Lidwinae reliquias, cum ceremoniis et honore debito, exponi et Christi fidelibus „venerandas proponi; quod ut studiosius fieret, omnibus fidelibus, coram dictis reliquiis, corde contrito” ad ibidem indicatas ab eo intentiones oraturis, quadraginta dierum Indulgentiam concessit³.

Illis reliquiis statim et deinceps continuo usque ad hodiernum diem honores, Beatorum cultui convenientes, praestitos fuisse, sequentia ostendent.

pars Montibus in Hannonia,

Archiduces praedicti, eodem anno 1616, praegrandem earum partem donaverunt Collegio nobilium virginum Canonistarum in Hannoniae civitate Montensi, ubi tunc pestilens morbus grassabatur, quae reliquia quum ibidem honorifice et gratanter accepta, atque solemniter lecto Mechlinensis Archiepiscopi diplomate supradicto, universo Clero, Senatu ac populo comitante, publica et religiosissima pompa per urbem ad Ecclesiam S^{ac}e. Waldestrudis perducta esset, ex eo tempore epidemia cessavit; diu etiam post, anno nempe 1670, mos ibidem perseverabat

1) *Append. littis. B.* (nis. 1, 3, 4, 5) et *M.*

2) *App. litt. B.* n^{is}. 3 et 4.

3) *Append. litteris G, H et L.*

illam reliquiam deferendi per Celebrantem in ordinariis Rogationum processionibus, aliisque in quibus non circumfertur Venerabile Sacramentum, ita eodem anno in qualitate Notarii Apostolici testante J. du Ternos, Capituli predictae ecclesiae Distributore ¹⁾.

Alteram partem praelaudata Archiducissa Isabella anno 1633 testamento legavit insigni collegiatae ecclesiae SS^m. Michaëlis et Gudulae, in urbe Bruxellensi „ut istic publicae fidelum devotioni expositae, majori cum pietate colerentur. „Quae anno 1650, die 7^a Januarii, annuentibus Archiduce Leopoldo, Belgum „pro Hispaniae rege Gubernante et Jacobo Boonen, Archiepiscopo Mechliniensi, „cui erat commissa testamenti executio, ad predictam ecclesiam, secreto quidem „(propter temporum rationes) sunt translatae, sed ante odaeum majoris choi „in altari quodam per totam octavam St^{ac}. Gudulae, fidelibus expositae, mox „in ejusdem templi sacello, in quo Venerabile Sacramentum Miraculosum „colebatur, supra altare collocatae sunt et remanserunt in arca oblonga, ebeno „argentoque laborata, cui duae argenteae statuae insistebant, una virginis Liduinae, manu sinistra tenentis inauratam Christi crucifixi effigiem, altera Angeli, caelestem „ramum dexteræ ejusdem virginis cum veneratione porrigitur.”

Haec ex epistola Rev. Patris Dorothei Louffii, Soc. Jes. ad se directa transsumpsit Rev. Pater Daniel Papebrochius ²⁾; quum itaque Papebrochius ibi tempore *praesenti* loquatur („scribit ad nos Pr. Louffius”), et hoc volumen anno 1675 ediderit, et etiam Louffius rem quasi sibi *praesentem* commemoret, dicendo: „in medio pugnatis collocata est B. Mariae Virginis statua, ad cuius „latus in proximo forulo *conspicua cernitur* arca oblonga, . . . continens ossa „B. Lidwinae, cui duae argenteae statuae *insistunt*,” etc. concludere licet, dictarum reliquiarum cultum ad minus usque ad annum circiter 1675^{mum} in Bruxellensi ecclesia perseverasse. Quo casu inde amotae fuerint et ubi terrarum lateant, si forte non prorsus interierint, omnino ignoratur, quod, proh dolor! idem fatendum est de majori eorum ossium parte, quae ut suprà diximus, Montensi collegio donata fuerunt; nam mediocrem quandam ex iis particulam (vid. infr.) ab anno 1723 possidet Jansenistarum quae Schiedami exstat ecclesia.

Interim, eadem Archiducissa Isabella Clara Eugenia, piissimo conjuge Alberto Austriaco vidiuata, tertiam eamque notabiliorum Liduinae reliquiarum partem in hierotheca ejusdem materiae, formae et imaginum ornatūs, dono misit ad coenobium, quod anno 1607 ipsa cum marito Bruxellis fundaverat monialibus Carmelitanis Discalceatis ³⁾; ipsa mandante, has reliquias, 23^a Decembris anni 1626ⁱ, ejus eleemosynarius major, Illustr^{mus} ac Reverend^{mns} Franciscus a Rye, Caesariensis Archiepiscopus, depositus in manibns Rev^{dac} Matris ejusdem monasterii, Beaticis a Conceptione et suarum monialium, quae illas, ipso testante, omni honore et reverentia receperunt ⁴⁾.

Religioso cultu statim deinceps predictas moniales illas reliquias prosecutas fuisse exinde liquet 1^o quod id negligendo, manifestam intentionem fefellissent

altera pars
Bruxellis, in
ecclesia SS^m.
Michaëlis et
Gudulae.

Neutra ci-
tas eas amplius
possidet.

Tertia pars,
monialibus
Carmelitanis
donata,

et Bruxellis,

1) *Append.* lits. K et L.

2) In saepedicto volumine Bollandistarum (*Actt. S. S.* ad 14 Apr. p. 368).

3) *Append.* lits. G, H et N.

4) *App.* litt. N.

piae donatricis Isabellae, continuò Bruxellis et non procul a monasterio habitantis; 2º ex epistola quam praedicta monasterii Rev. Mater Beatrix anno jam 1630º ex urbe Salamunca direxit ad Bruxellensem monialem, sororem Florentiam a Cruce (ex illustri Merodiorum familia). Sic enim ait: „Charitas Tua, quum „*Sanctae* Lidwinae procuratrix existas, id nostrae Infanti [id est Isabellae] in „memoriam reducere velit, et omnia quae poteris agas, ut *Sanctae* Officium „recitetur” ¹⁾.

Quae verba sat studii et devotionis ostendunt, neque facile referri possent ad locum ubi illae reliquiae non jam praecipue honorarentur, praesertim quum Liduinae cultus nullo Ordinis Carmelitici speciali titulo sed ratione tantum possessionis et custodiae hujus sacri depositi ad Carmelitanas moniales pertineret ²⁾. Facultatem vero (quam habuisse postea testatae sunt ³⁾): in die obitus Liduinae, 14^a Aprilis, ejus Officium recitandi et alias solemnitates peragendi, non videntur obtinuisse ante annum 1650^m. Eo nempe circiter tempore, id postularunt ab Archiepiscopo Mechlinensi, Jacobo Boonen; quid ille responderit, latet; fortasse ideo respondere distulit quoniam, ut infrà dicemus, de Liduinae Beatificatione jam apud Sanctam Sedem agere incepisset vel saltem paratus esset. Quidquid sit, constat, moniales Carmelitanas Bruxellenses postea quotannis in praedicto anniversario die, in honorem Liduinae, Officium divinum recitasse ex *Communi Virginum*; sed nescitur, cujus tandem auctoritate et quo tempore id facere incepint; certum vero est, saltem ad anno 1742 in Directorio Carmelitarum Discalceatorum in Belgii Provincia, B. Liduinae festum determinate et specialiter pro monialibus Bruxellensis conventū notatum et indicatum fuisse ad diem 14^a Aprilis, ut festum iis proprium, sub ritu duplice celebrandum. Quum igitur certe ab eo tempore quotannis eo die illud Officium rite duplice recitasset, anno 1783, ob persecutionum turbas, cum praedictis reliquiis ad Sanctum Dionysium prope Parisios confugerunt, ibique Vicarius Generalis Parisiensis, Carmelitarum Discalceatorum in Gallia Apostolico Visitatore, Josepho Joanne Francisco de la Grange Gourdon de Floirac, „quia reliquias illas a die receptionis, 23^a „Decembr. 1626 in monasterio Bruxellensi semper cum veneratione servassent „et Officium praedictum recitare consuissent,” facultatem iis dedit, in exilio loco Officium continuandi, sicut testatus est litteris, ab eo subscriptis 3^a Septembris 1792 in civitate Bruxellensi, quò nempe moniales die 25 Junii 1790 cum reliquiis reversae fuerant. Ibidem eodem die 3 Sept. 1792. Rev. Pater Petrus de Alcantara a Sancta Teresia, Ex-provincialis et Definitor tunc actualis Carmelitarum Discalceatorum, reliquias recognovit et in instrumento ea de re confecto pro certo affirmat, moniales illas jam antiqua possessione quotannis die 14^a Aprilis constanter recitasse et recitare praedictum Officium rite duplice ¹⁾.

1) *Append.* litt. S.

2) Attamen Reverendos etiam Patres hujus Ordinis Religiosos in Belgica Provincia, Liduinae memoriam velut *Sanctae* veneratos fuisse, forsitan ex eo conjici posset, quod auctor Arabicæ versionis libri *De Imitatione*, Belga quidam Carmeliteus Excalceatus, nomine suæ professionis appellatus sit: *Coelestinus a Sancta Liduina*; familiæ nomen erit: *Colias*.

3) *Append.* litt. T.

4) *Append.* litts. O. P. et Q.

postea ad S.
Dionysium in
Gallia,

iterum Brux-
ellis

Quod ex eo tempore moniales in conventu Bruxellensi eodem modo continuarunt usque ad annum 1861 inclusive. Tunc enim, auctoritate Rev. Patris Provincialis earum, a recitando praedicto Officio cessatum, illiusque indicatio in sequentium annorum Directoriis praetermissa est.

variis modis
ab iis continuò
cultà est,

Permansi tamen usque hodie pia consuetudo, die 14^a Aprilis exponendi in conventū Bruxellensis ecclesia arcam, dictas reliquias continentem, floribus ornatam, et fidelibus Indulgentiam nuntiandi, anno 1616 ab Archiepiscopo Mechliniensi Hovio, eas venerantibus, ut supra, concessam ¹⁾.

et colitur.

His interea omnibus majora ad glorificandum Deum in famula sua Liduina jam anno 1629 fieri optabat et, quantum in se esset, perficere meditabatur Illustr.^{mus} Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis. Die enim 18^a Martii subscrispsit et suo sigillo munivit epistolam qua Summum Pontificem supplex rogavit, ut, attentis omnibus in ea expositis de Liduinae sanctitate, miraculis et cultu, Sua Sanctitas huic virgini cultum Beatis exhiberi solitum decernere dignaretur ²⁾.

Archiepisco-
pus Mechlini-
ensis jam aº.
1629 Beatifica-
tionem postu-
lare cogitat.

Utrum haec epistola revera ad Summum Pontificem missa fuerit, num Sancta Sedes et quid in casu responderit, omnino ignoratur; in archivio saltem Archiepiscopatū Mechliniensis, quod scilicet, rebus perturbatis, alienorum iniquitas non semper intactum reliquit, nullum aliud id negotii concernens documentum vel argumentum adesse, Archivist, Metropolitanae Ecclesiae Mechliniensis Canonicus, piae memoriae Rev. plur. D^{ns} Scheffer, sedulam post investigationem, certiores nos fecit. Nihilominus epistola ipsa per se, utpote gravissimum et luculentissimum Archiepiscopalis auctoritatis judicium continens, non parvi momenti est ad ea probanda quae de praedictis Liduinae fama et cultu affirmamus. Ostendit imprimis, *eandem famam*, tredecim post reliquiarum elevationem praeterlapsis annis, in Belgio èt *permagnam* exstisset èt eam rerum veritate quam maxime fulciri competenti judici exploratum fuisse.

Quid revera
actum sit, latet.

Quoad continuationem cultūs, primo quidem intuitu aliquid difficultatis moveri posset ex verbis Archiepiscopi: „Cum autem divina bonitas, quae est mirabilis in Sanctis suis, suam hoc modo sponsam in terris honorare voluerit, quo cultus hic, qui tempestate bellorum defecit, reviviscat et majus in dies Ecclesiae et statūs publici bono incrementum capiat, ego.. rogo supplex ut, attento,” etc.. „decernat S. Sanctitas” etc.

Judicium ejus
de Liduina non
minus grave et
evidens.

Sed respondemus: cultum *defecisse* utique Archiepiscopus affirmat, non omnino *cessasse*, quod etiam contrarium esset aliis praecedentibus ipsius Archiepiscopi verbis: „indubitatum est, ejus virginis reliquias venerationi fuisse et esse apud populum, a Matthia Hovio, Archiepiscopo Mechlinensi, examinatae,

Difficultas ex
ejus verbis de-
ducta,

solvitur.

1) *Append.* litt. T.

2) *Append.* litt. H.

„recognitae, et probatae, in Belgarum Principum, Alberti et Isabellae, Oratorio „reconditae et asservatae, nunc vere Monialium Carmelitidum Excalceatarum „monasterio in eadem urbe [Bruxellis] dono datae¹⁾.

Eo magis non tam Belgium sed potius Hollandiam (quoad aliquam cultū defectionem) respexit videtur, ubi reliquiae non amplius venerari poterant (quia jam anno 1615 Bruxellas translatae erant), et alia quaedam, ad Liduinam honorandam et implorandam antea consueta, temporum causā omnino cessare debuerant, alia nonnisi absque notoria solemnitate et quasi secreto peragebantur, ita ut mirum non sit, Archipraesulem Boonen, qui Revī Patris Paludani, anno 1628 confectam, relationem²⁾ ignorasse videtur, quaedam partim omittere, partim nonnisi dubitanter referre quae, ad Liduinae cultum spectantia, Pater Paludanus in Hollandia usque ad eum annum fideliter observari, ibidem pro certo didicerat.

Fama sanctitatis et miraculorum, ab anno 1616 usque ad nostram aetatem.

Multi auctores testantur, inter quos:

Pr. Cornelius a Lapide,

Pr. D. Papēbrochius,

Benedictus Pa-pa XIV,

Post haec quae in Belgio et Gallia, reliquiarum praecipue causā, gesta sunt, alia nunc repetenda veniunt, ad propositum nostrum conducentia.

Series itaque auctorum, qui ante annum 1616 non secus de Liduina scripserunt nisi quomodo agi solet de Sanctis vel Beatis vel talibus Dei servis qui publica atque constanti fama et opinione pro Sanctis vel Beatis habentur et miraculorum gloria memoria gaudent, minime deinceps interrupta sed ad nostram potius aetatem continuata est non paucis iisque optimae notae auctoribus, nonnullis etiam acatholicis. Praecipios ordine chronologico in *Append.*³⁾ referimus; quinque tamen spectandissimos jam hoc loco allegabimus.

1º. Eximium Saerae Scripturae interpretem, in odore sanctitatis defunctum Patrem Cornelium a Lapide. Sic enim commentatus est vers. 21^m Capit. XVI Sancti Evangelii secundum Lucam:

„Lazaro similis in doloribus et ulceribus aequa ac in patientia fuit *Sancta Lyduwina* Schiedamensis in Hollandia, quae anno aetatis decimo quarto in glaciem lapsa costam fregit, indeque aegra triginta et amplius annos decubuit, variis et continuis doloribus a Deo immisis afflita usque ad mortem, ut ei integrum patientiae coronam pertexeret. Lege vitam ejus apud Surium. Nimirum voluit Deus Lazarum, Job, Tobiam, LYDUVINAM omnibus saeculis statuere aegrotis et afflictis in speculum et exemplar patientiae.”

2º. eruditissimum et in critica scientia versatissimum Patrem Danielem Papēbrochium in *Actis Sanctorum Bollandianis*, ad diem 14^m Aprilis.

3º. omni doctrinae praeconio dignissimum Pontificem Benedictum XIV^m in egregio opere, quod, postquam in plurimis Canonizationum causis Fidei Promotoris munere functus erat, edidit *de Servorum Dei Beatificatione*, etc, et etiam in editione quam ipse, jam ad Summum Pontificatum evectus, suā curā recognovit. Liceat jam superius allata verba repeteret: „Liduviges sive Liduina, quam nonnulli BEATAM appellant, Virgo Schidami in Hollandia mortua est anno 1433. Duodeennis a plerisque ad nuptias expetita, sed servanda virginitatis cupida, Deum ardenter exoravit, ut, si alia via avertendi conjugii non sup-

1) *Append.* Ibid.

2) *Append.* litt. D.

3) Litt. X.

"teret, totum suum corpus morbis afficeretur. Magnus autem morborum exercitus corpus ejus invasit, et eo vexata fuit spatio triginta et octo annorum. Apud Surium et Bollandianos, Tom. II^o. Aprilis, cuncta exakte describuntur, ita ut admiratione revera dignum sit, quomodo, cum omnia ejus membra inauditis doloribus essent obnoxia, invictae patientiae signa practulerit. *Hujus inclitae Virginis* meminerunt etiam Theophilus Raynaudus (Tract. de Mart. p. pestem, P. I. C. II. n^o. 6) et Cornelius a Lapide in Cap. XVI. v. 21. in "Lucam" ¹⁾.

Seipsum autem inter eos numerandum esse, qui Liduinam "Beatam appellarent" prudentissimus Pontifex non obscure jam indicaverat ²⁾. "Insuper," ait ibi, "apud Molanum in *Natali Sanctorum Belgii* ad diem 14 Aprilis legitur, Missam de Sanc*tissima Trinitate cantari in festo Beatae Lüdwigis.*"

4^o. Sanctissimum Episcopum et Ecclesiae Doctorem Alphonsum Mariam Li-guorium. In suo opere: *La vera sposa di Gesù Cristo*, nostram Liduinam èt ut heroicae patientiae exemplum monialibus proposuit, èt quatuor vicibus eam *Sanctam* nominavit. Legitur enim Capite XIII^o § 11 *Della pazienza nell' infermità, povertà, disprezzi e desolazioni*, sub n^o. 3: "Santa Liduwina, come narra il Surio, per 38 anni stette sovra una tavola abbandonata, coperta di piaghe e cruciata da' dolori, e non mai si lamentò di niente, ma tutto abbracciò con pace"; et deinde sub n^o. 9: "Narrasi ancora di Santa Liduwina, che un giorno entrò una donna nella sua stanza, e cominciò a maltrattarla colle ingiurie più atroci che posson dirci, e perche la Santa se ne stava nella sua solita pace, quella tigre più infuriandosi si pose a sputarle in faccia, e vedendo, che la Santa neppure se ne turbava, posesi a gridare come pazza." Ter idem praestitit in alio opere: *Pratica di amar Gesù Cristo*. Cap. XIV., n^o. 5 et 6. (Verba referuntur in *Append. litt. R.*)

S. Alphonsus
Maria de Li-
guorio,

5^o. Clarissimum Virum, Eminentissimum Dominum Joannem Bap*istam*, tituli S*tei* Callisti S. R. E. Presbyterum Cardinalem Pitra, in suo opere: *La Holland Catholique* ³⁾.

et Cardinalis
Pitra.

Restat ut subjiciamus quae notanda sint de perseverantia famae et cultûs Liduinae in ipsa Hollandia ex tempore quo reliquiae inde Bruxellas translatae sunt.

Ex saepius citata relatione Rev. Patris Paludani sequentia patent: etiam circa annum 1628, Schiedami, quamvis Protestantismi sectatores ibi jam per dimidium saeculi et amplius dominarentur, Liduinae sanctitatis et miraculorum fama, quasi haereditaria incolarum traditione, magna permanserat; antiquus ibi usus perseverabat, obitûs ejus anniversarium quotannis ut diem festum recolendi, in ejus honorem tunc Sacrosanctum Sacrificium offerendi et Officium divinum, privatim tamen, recitandi, imo panem benedicendi, quo fideles magnâ fiduciâ pro remedio contra morbos, prae*ser*tim febres, utebantur, similiter et aqua

•
Perseveran-tia famae et cultûs in Hol-landia.

1) De Beatif. Servn. Dei, Lib. III, Cap. XXX, no. 7.

2) Lib. II, Cap. XX, no. 16.

3) Ie. Part. C. X.

putei, de quo serva Dei vivens bibere solebat, quam etiam Missae celebrationem, Officii recitationem et panis benedictionem Pater ille Dominicanus, tunc temporis ibi sacro ministerio fungens, et fieri et a se ipso quotannis continuari asseveravit.

Qua auctoritate, quo tempore vel pastore modò nominatae tres religiosae consuetudines in civitate Schiedamensi interierint, minime indicari potest; certum tamen est, cessasse, nec usque hodie restauratas esse. Illustriss^{mus} ac Reverend^{mus} Jacobus de la Torre, Archiepiscopus Ephesinus, i. p. i. et foederati Belgii, sive Hollandiae, Vicarius Apostolicus, in *Relatione quam anno 1656 de statu religionis Catholicae in Hollandia* Summo Pontifici Alexandro VII^o et S. Congregationi de Prop. fide tradidit, cultum *Sanctae* (ut eam appellat) *Liduinae*, olim Schiedami solitum, ex supracitato Molano commemorat; addit etiam, reliquias Bruxellis tam in ecclesia S. Gudulae quam in conventu sororum Carmelitudum, quod ipse vidisset, venerationi expositas esse. Sed nullatenus indicat, utrum se Vicario Apostolico, in Hollandia aliquid prioris cultus Liduinae adhuc praestaretur.

Speciatim ad horas canonicas quod attinet, in collectione Officiorum Propriorum, quam pro Hollandiae Dioecesis edi curavit anno 1623 in his partibus Vicarius Apostolicus, de quo jam supra, Philippus Rovenius, Archiepiscopus Philipensis, i. p. i., similiter et in altera, novis curis elaborata, quae ejusdem, ut fertur, auctoritate prodit anno 1640, nihil de Liduina invenitur; in *Kalendario* tantum, posterioribus editionibus secundae collectionis praefixo, aliquando (v. g. in editione Amstelodamensi anni 1767, et Embriensi anni 1821) ad diem 14 Maji¹⁾ commemorative appositum legitur: „Liduwina virgo obiit Schiedami anno 1433.”²⁾

Diversam, et quidem Summorum Pontificum Decretis minime consentaneam, praxim sibi sequendam elegit clerus Jansenistarum. In Breviario enim, quod praecedenti saeculo substituere presumserunt Romano, et quo etiam nunc utuntur, ad diem 14 Maji Officium Liduinae addiderunt „in Dioecesi Ultrajectensi ad libitum” recitandum ritu „semiduplici” cum duabus Lectionibus aliquis partibus propriis³⁾; in ultima tamen Lectione, de Liduinae memoria celebranda monuerunt: „Sanctam Sedem eam nec jussisse nec impedivisse.”

Fortassis eam proprii Officii novitatem introducere attentarunt quia duo eorum, Amandus Verschuur, pseudo-pastor Schiedamensis, et Jacobus Timmers, praetensus pastor Rotterodamensis, partem quandam earum Liduinae reliquiarum, quae, ut supra dictum est, in Belgii civitate Montensi servabantur, anno 1723 Schiedamum transportavissent, ubi non sine pompa, ut fertur, in refractariorum ecclesia collocata fuit⁴⁾. Certum est, eam ibidem sub altari custodiri.

Ab altera parte posset illud *Officium* idem esse atque id quod Jansenista Heussenius jam anno 1714 commemoraverat in sua *Batavia Sacra* (Parte II.

1) Perperam pro: Aprili.

2) Monitum tamen occurrit in Ultrajectensium schismaticorum Breviario (de quo infra), Parte Hiem. p. XXVIII: »Liduinam in veteri *Calendario Ultrajectino* ad diem 14 Maji notari, sine Officio.“

3) *Append.* litt. U.

4) Ita refert Dr. A. Maas in periodico: *Amicus Patriae*, vernacule: *Vriend des Vaderlands*, XIII. p. 676.

Quaedam piae
consuetudines
incerto tempo-
re cessaverunt.

De Officio
divino.

p. 204), et quidem, ut addit, typis impressum. *Oratio saltem propria*, quam integrum ibi refert, paucis mutatis, concordat; sed de caeteris partibus, quum ille eas indicare omiserit, judicium ferre non possumus¹⁾.

Interea apud Catholicos Hollandos, praesertim Schiedamenses, publica et notoria fama atque opinio de Liduinae Sanctitate et miraculis integra permansit neque religiosus cultus omnino cessavit, quinimum, Deo antiquae Batavorum ecclesiae faustiora tempora largiente, utraque fama et cultus non parum incrementi ceperunt.

Saeculis enim decimo septimo et octavo, neconon hoc currente undevicesimo, hujus virginis, aureolo radiato ornatae, et Angelo, ramum ei porrigente, comitatae, sicut jam antiquitus repraesentari solebat, effigies, multoties et vario opere sculpta ac typis recusa et vel libris, in ejus laudem compositis, juncta vel seorsim edita et sparsa, omnibus semper tam nota quam percara fuit. In variis precatiōnū libris, ad quotidianum Catholicorum usum vernacule editis, inveniuntur Indices seu Kalendaria festorum, quae ad diem 14^m Aprilis *Sanctam vel Beatam Liduinam virginem* commemorant; inveniuntur etiam speciales preces ad ejus opem, praesertim ut heroīcae patientiae exempli, implorandam. Nomen ejus, ut Beatae Patronae, in conferendo Sacro Baptismate, pueris, praesertim praedicto ejus anniversario die natis, imponebatur et imponitur. Rituale etiam quod pro Sacramentis administrandis jam diu in his partibus approbatum usum obtinuit et retinet, in commoditatē Sacerdotum Elenchum quoque exhibet, ita inscriptum: *Nomina vernacula Hollandorum et Frisiōrum, adjunctis nominibus Sanctorum, quae per illa significantur.*²⁾ Pro Hollandis autem ad vernaculum nomen: „*Lijdwyn, Lijdved, Ledewijntje*” indicatur: „*Liduina, V [irgo], Schiedam, 14 Apr.*” Pro Frisiis vero ad vernaculum nomen: „*Ludu et Laudou*” indicatur: „*Lidwina, V [irgo], Apr.*”

Anno 1838, die 26^a Octobris, Rev. plur. Pater Joannes Dominicus Raken, eo tempore RR. PP. Dominicanorum in Nederlandia Praepositus Provincialis, continuis, ut ipse ait, „commotus precibus „Pastoris ac devotorum communis Schidamensis membrorum”, supplicibus litteris rogavit Reverendissimum ac Illustrissimum Dominum Antonium Benedictum Antonucci, tunc Hollandiae Missionis Vice-Superiorem, nunc S. R. E. tituli S. S. Silvestri et Martini Cardinalem et Archiepiscopum Episcopum Anconitanum et Humanum: „quatenus a Sancta Sede implorare dignaretur, ut Missioni Hollandiae „ac specialiter civitati Schidamensi facultatem Officii recitandi et Missae celebranda in honorem Sanctae Liduinae Virginis benigne concedere vellet”²⁾.

Certum est, Illustrissimum Vice-Superiorem pro obtainenda praetacta facultate, supplices litteras ad Sacram Congregationem de propaganda fide Romam expeditisse³⁾. An et quale responsum ea de re secutum sit, prorsus ignoratur.

Ab anno 1852 tam Schiedami quam in aliis pluribus Hollandiae urbibus, Hagae-Comitis, v. g. Rotterodami, Leidae, Zwollae, etc. multae et inter eas nobilissimae matronae et virgines in piam sodalitatem, anno 1854 ab Illustr^{mo} ac

Aliae tamen
consuetudines
permanserunt.

R. P. Pr. Pro-
vincialis Do-
minicanorum,
pro obtainenda
Officii et Mis-
sae facultate,
supplicat; res
ad S. Congr.
de propag. fide
defertur.

Responsa et
ulterius acta
ignorantur.

Pia sodalitas
instituta.

1) *Append. litt. V.*

2) Ex originali supplica, in Archivio Episcopali Harlemensi.

3) Ex Vice-Superioratus Registro in codem Archivio.

et approbata
ab Ordinario,

prudenti ta-
men denomi-
nationis mo-
deramine.

Hospitium
erectum.

Liduinae la-
pis sepulchralis
eò transla-
tus, ibique ho-
noratus.

Alia monu-
menta.

Schiedamum
speciali protec-
tione Liduinae
gaudere, non
spernendis ar-
gumentis, cre-
ditur.

Rev^{simo} Domino, piae recordationis Francisco Jacobo van Vree, Episcopo Harle-mensi approbatam, se conjunxerunt, ut hac religiosa societate unitae, eo effi-cacius, in virginis Liduinae memoriam et imitationem, pauperibus, infirmis aliove modo laborantibus, adjutorium et solamen, omni charitatis zelo, sicut quotidie fa-ciunt, praestare satagerent.

Valde optaverant, ut *Sanctae vel Beatae Liduinae* nomine earum sodalitas expresse insigniretur; praelaudatus vero Episcopus Harlemensis huic voto satis-facere minime se posse declaravit; attamen, testatus, se, quantum ad ipsum pertineret, de Liduinae beatitudine non dubitare, concessit, ut sodalitas illa, sicuti etiam factum est, vocaretur: *Liduiniana Congregatio Sanctae Elisabethae*, vel alio similiter addito nomine alicujus Sanctae, rite canonizatae et in patronam eligendae¹⁾.

Insuper anno 1850, in festo Omnia Sanctorum, Schiedami, in Liduinae publicam memoriam et imitationem, ideoque ejus etiam nomine appellatum (operâ sodalium clarissimae confraternitatis Sti Vincentii a Paulo), erectum est amplum grautrophium sive hospitium pro vetulis indigentibus mulieribus, quarum curam magna cum charitate habent sorores tertiae regulae Sti Dominici. — In hujus aedi-ficii sacello conspicue et honorifice muro adaptatus est lapis ille sepulchralis, quo Liduinae ossa olim tegebantur, pluribus, ut suprà relatum est, miraculis ali-quando celeber; quem quidem lapidem nobilissimus et de re Catholica non minus quam de patria civitate meritissimus Dominus J. B. Nolet, anno 1861, arrepta occasione, ab oppidi magistratu sibi tradi rogavit et obtentum anno 1862 in praedicto sacello collocari curavit.

Schiedami locus monstratur, via quaedam, fossâ divisa, ubi, quod et nomine (*"Krepelstraat = Kreupelstraat"*) indicari volunt, Liduina in glaciem corruens, costam fregit, qui casus ei initium dolorum sed et patientiae meritorum fuit; monstratur sacellum, a Catholicis olim ejus sepulchro superaedificatum, Sti Joannis parochiali quondam, nunc a Protestantibus occupatae, ecclesiae contiguum.

Sed quod majus est, ab immemoriali tempore ibi traditio viget, Lidui-nam (verosimiliter ea occasione quum ipsa, lectulo, quo viribus destituta et sibi relicta decumbebat, flammis correpto, evidenti miraculo integra esset servata) viventem praedixisse, nunquam Schiedami in posterum fore, ut uno incendio plus quam unum aedificium periret. Constat utique, in ea civitate, ubi incendium non rarum, et vastissimae conflagrationis ingens periculum est propter immensam quae ibi per totum fere oppidum servatur combustilium materiarum congeriem, hominum memoriâ nunquam accidisse, ut, uno aedificio flammis capto vel etiam pereunte, alterum, quantumvis incendiis validissimis fomentis repletum, quantumvis periculo proximum, ignem inde conceperit. Quinimmo nostris etiam diebus, plures istiusmodi aedificia a vicino incendio, ita stupendo modo salva perstiterunt, ut inde Catholicorum persuasio, qui id Liduinae peculiari interventui adscribunt, et in his circumstantiis ejus patrocinio confidunt, non levi utique fundamento nisi, recte judicetur.

Quum igitur Liduinae fama et veneratio apud Hollandos, praeceipue Schie-

1) Haec ex ipsius Antistitis litteris, d^a. 22^a et 30^a Aprilis 1854, in Episcopali Archivio servatis.

dami, magnae permansissent et hac aetate manifesto augerentur, Rev. adm. D^{ns} Paulus Jacobus van Leeuwen, ab anno 1853 in ea civitate ad S^m Mariam, titulo Visitationis, parochus, tam sua quam Schiedamensium fidelium devotione permotus, omnem operam impendere non desiit, ut pars saltem earum Liduinae reliquiarum, quae Bruxellis apud moniales Carmelitanas custodiebantur (caeteris quippe ossium partibus dispersis et deficientibus), natali virginis urbi restitueretur. Nonnisi post multum temporis et laboris consumpti, praefatarum tandem monialium consensu obtento, dictus parochus, ut negotium servatis servandis procederet, Ordinario suo, Illustr^{smo}. ac Reverd^{smo}. Domino Gerardo Petro Wilmer, Episcopo Harlemensi, approbante et apud Sanctam Sedem rem valde commendante, anno 1869 Summum Pontificem regnantem, Pium Papam IX^m, supplicibus litteris rogavit, ut Bruxellensium reliquiarum divisionem et pro parte translationem in gratiam Schiedamensium concedere dignaretur. Idem, Illustris^{mo} ac Rever^{mo} Domino Victore Augusto Isidoro Dechamps, Archiepiscopo Mechliniensi, simili modo approbante et commendante, praefatae moniales ex altera parte fecerunt. Quibus precibus Sua Sanctitas benigne annuens. Reverendiss^m et Excellentissimum Dominum Angelum Bianchi, apud Nederlandiae Regem Apostolicae Sedis Internuncium, ad rem conficiendam delegavit. Explorato deinde utriusque Ordinarii, Archiepiscopi nempe Mechliniensis et Episcopi Harlemensis, consilio, Excellentissimus Dominus Internuntius, Bruxellas profectus, ex Rescripto Em. Card. Praef. S. Congr. de Propag. Fide 1) reliquias ibi servatas, recognovit, divisit et insignes aliquas ossium partes, cistellae inclusas, sigillatas et authentico documento munitas, praefato parocho tradidit, qui sacrum illud depositum mox Schiedamum fauste transportavit, ubi, summo Catholicorum gaudio, die 14 Junii 1871 in propria receptum, usque hodie decenter ac fideliter custoditur.

Annuente
Pont. Max. Pio
IX, pars reli-
quiarum Schie-
damum reduci-
tur.

Ex omnibus quae jam exposuimus, satis liquet, Dei famulam Liduinam, et vivam et mortuam, famam sanctitatis et miraculorum, etiam post obitum patratorum, publice, notorie et usque ad hodiernum diem claram fuisse et esse, tali etiam veneratione ejus memoriam, necessariò scientibus, nunquam contradicentibus, imo aliquando formaliter consentientibus locorum Ordinariis ab initio et deinceps constanter honoratam fuisse, ut secundum Canonistarum theologorum, imprimis Benedicti Papae XIVⁱ, doctrinam et Apostolicae Sedis praxin, multiplice specie publicum religiosum cultum importet.

Conclusio
prima.

Restat, ut paucis ostendamus, in hisce non contraventum fuisse Decretis felic. record. Urbani Papae VIIIⁱ.

Annis siquidem 1625 et 1634 praelaudatus Summus Pontifex prohibuit cultum publicum quoruncunque defunctorum, etiam quacunque sanctitatis et miraculorum fama illustrium, nisi prius ab Apostolica Sede canonizati aut beatificati essent. Declaravit tamen: suis Decretis non comprehendi eos Dei Servos, quibus hujusmodi cultus non aut per communem Ecclesiae consensum, vel imme-

De observa-
tione Decreto-
rum Urbani Pa-
pae VIIIⁱ.

1) *Append. ltt. W.*

"morabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta vel longissimi temporis scientia ac tolerantia praefatae Sedis Apostolicae vel "Ordinarii" exhibitus esset. Statuit etiam, pro tempore immemoriali vel longissimo in hujusmodi causis requiri annorum numerum qui centenarium excederet.

Ex supra allegatis vero patet, praecipuum, ne dicamus, unicum fundatum ad probandum casum, ab Urbano VIII^o exceptum, in nostra causa esse cultum immemorialem, id est centum annis praefatis Decretis anteriorem.

Cultus autem publicus Servo Dei jam defertur, si *ad ejus sepulchrum*, praesertim non ab una persona sed a multitudine hominum, oblationes et dona votiva *congeruntur* et *suspenduntur* pro sanationibus aliquique beneficiis, ejus interventu a Deo obtentis vel obtentas creditis. Communi enim acceptione, ad publicum cultum hoc pertinere videtur, et insuper praefatis Urbani VIIIⁱ Decretis pro non canonizatis vel beatificatis prohibitum est et absque indulto Apostolico tolerari non posset. Per se igitur optimum et valde honorificum est, et quum, teste Benedicto XIV^o (in supr. cit. opere), nemini privatus Servorum Dei cultus ne ab Urbano quidem VIII^o sit vetitus, et sine causa ab Apostolica Sede id concederetur quod jure fieri posset, sequitur, talem honorem cultus publici speciem constituere.

Atqui, fide dignissimis testibus, Liduinae coaevis, constat, jam annis 1433 et 1434 multos fideles sepulchrum ejus visitasse, oblationibusque spontaneis honorasse, qui se a variis languoribus et infirmitatibus curatos asserebant; quapropter anno 1434 in parochiali ecclesia lapideam capellam super ejus sepulchrum et altare juxta illud, magistratum auctoritate, aedificata esse (Vide supr. p. 4).

Ergo jam annis 1433^o vel 1434^o, id est: ducentis fere annis ante Urbani VIIIⁱ Decreta, Liduina publico cultu fuit honorata.

Hunc cultum deinde saeculis XV^o vel XVI^o unquam interruptum fuisse èt per se non credibile esset, èt insuper ex suprà allegatis patet, auctum potius et etiam, non obstante vehementissima Catholicae religionis persecutione, usque ad annum 1615 saltem, varia specie, Schiedami continuatum esse. Nullum interea occurrit vestigium contradictionis a parte S. Sedis; neque a parte Ordinariorum, quos praedictum cultum per duo fere saecula latuisse, moraliter impossible est.

Ab anno dein 1616, uti ostendimus, partim consentientibus, partim cooperatoribus Ordinariis, nullo sane contradicente, usque hodie vel Schiedami vel Bruxellis vel utrobique continuatus est.

Constat ergo videtur de casu ab Urbani VIIIⁱ Decretis excepto, ideoque, etiam ob evidentem et constantem sanctitatis ac miraculorum famam, apud Sanctam Apostolicam Sedem supplicari posse pro approbando immemoriali cultu praeclarae Virginis Liduinae.

Quod clementissimus Deus, omnis sanctitatis et gloriae origo, ad optatum finem perducat!

Conclusio altera.

Cultui Liduinae nunquam contradictum fuit.

Conclusio tercia et finalis.

**APPENDIX DOCUMENTORUM
AD CAUSAM SERVAE DEI LIDUINAE
PERTINENTIUM.**

A.

Litterae Joannis, Bavariæ Ducis, et Magistratum Schiedamensium.

Omnibus et singulis spiritualibus et saecularibus, Dominis etc. Nos, Joannes, Dei gratia etc. volumus vos scire, nos vidisse et legisse litteras quasdam, nostri Schiedamensis oppidi sigillo extrapendente sigillatas, integras, prorsus non abrasas et non cassatas ¹⁾, continentes de verbo ad verbum prout infra.

„Universis et singulis Christi fidelibus, spiritualibus et secularibus, „majoribus et minoribus, nobilibus et ignobilibus, utriusque sexus hominibus „et personis, cujuscumque status, gradus, aut conditionis extiterint, in civita- „tibus vel extra, in terris vel in aquis, aut ubicumque alias moram traxerint, „aut sua domicilia seu loca habitationis habuerint, ad quos praesentia pervenerint, „Ballivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini et Consules oppidi Schiedam in „Ducatu Hollandiae ²⁾, sub diocaezi Trajectensi, humiles salutationes semper „prævias cum agnitione veritatis: quia recta ratio hoc judicat, justitia exigit et „requirit, quod res et causae veraces evidenter ad aures intimari, propalari, et „manifestari possunt, immo merito propalari, ad aures intimari et manifestari et „testificari debent; præcipue tamen istae, in quibus laus, honor et gloria „Dei inesse possunt, ac relucere.

„Certificamus igitur et innotescimus, et scire desideramus omnes et sin- „gulos Christi fideles præscriptos, propalamus, ad aures intimamus et testamur „in veritate in his scriptis, de factis et rebus mirabilibus valde et inauditis, „quae in memorato nostro oppido contingunt et facta sunt, et quotidie adhuc „in quadam Virgine, Liedwy Petri nominata, fiunt et contingunt. Hoc est „intelligendum, quod eadem virgo et puella, infirma valde fuit et in lecto suo „permaxime torquebatur, in quo etiam jacet et jacuit bene viginti tribus annis, „in festo Purificationis B. Mariae Virginis ultime praeterito. Et infra idem „tempus numquam usa est neque recepit nisi unam dimidiam pintam vini, per „septimanam vel quasi, cum aqua modica vel parum de sucario vel cum valde „pauco cynamomo bene trito: excepto quod infra tres primos annos suae in- „firmitatis, aliquoties et inter tempora, modicum de pomo vel pane accepit, „et quandoque de dulci lacte parum comedit vel potavit: sed infra septem

1) Fortasse pro: non *cancellatas*.

2) In Hollandico textu: *in Hollandia*, omissio: *Ducatu*.

"annos ultime praeteritos nullo omnino cibo vel potu usa est, neque utitur pro
"praesenti.

"Non dormit, neque per omnes supra scriptos annos umquam dormi-
"vit, nisi parum valde; et vix per duas noctes, omnibus simul computatis. Et
"jacet jam adeo lamentabiliter et miserabiliter, quod intestina sua perdit et
"privatur eisdem. Et vermes grisei, aqua ejusdem coloris pleni, grossi velut
"fusum in fine, longi sicut articulus est unius digiti (quod cum licentia et
"reverentia omnium scribimus), carnes ejus comedunt et corrodunt, absque
"foetore aliquo et sine odore malo inde proveniente. Et quando praeteritis tem-
"poribus moveri vel tractari consueverat, tunc oportuit ut corpus ejus superius
"circa scapulas, cum institis aut cum manutergio vel consimili aliquo fortiter lig-
"retur; alias totum corpus in partes minutas cecidisset, et penitus fuisse dissolutum.
"Sed modernis nunc temporibus nullo modo potest moveri, neque umquam potuit
"infra septem annos ultimo transactos, per quos semper jacuit et adhuc jacet
"in suo dorso, et non potest movere nisi caput et brachium unum.

"Et aliquando per temporum intervalla de ore ejus, naso, auribus,
"aliisque meatibus multum sanguinis emittit, super hoc quod nullo cibo utitur
"vel potu, nec usa est nisi secundum superius exaratum. Et eadem virgo et
"puella infra eosdem septem annos praescriptos habuit et adhuc habet de tertio
"in tertium diem, unam magnam et gravem febrem tertianam, quae ei primo
"advenit cum inenarrabili calore: et non longe post hoc venit inextricabile frigus:
"et tune iterum calores et frigus [vicissim. Et hoc sic bene per unum dimidium
"annum duravit: sed post hoc tempus habet semel calores per tempus durantes,
"et postea frigus] ¹⁾. Et quando ab hujusmodi febre liberatur, tune de seipsa
"nihil scit infra decem vel duodecim horas. Et ²⁾ quando febres praedictas
"habet et patitur, tune evomit per os seu emittit per noctem multum de aqua
"rubea, sic quod ex illa quarta pars vasis plena resultat [per septimanam] ³⁾:
"et de hujusmodi aqua, etiam praeter hanc, infra annum adhuc bene duo vasa
"plena evomit et emittit] ⁴⁾.

"Habet etiam praefata virgo et puella in corpore suo tria foramina,
"quorum quodlibet bene adeo magnum est sicut interior concavitas et fundus
"unius scutellae communis ⁵⁾, et adeo nigra sunt sicut pix, uti introscientibus
"et videntibus appareat. Et ex uno eorum, quod stat in ventre illius virginis
"et puellae, currunt et scaturiunt per temporum intervalla de vermis supra-
"dictis ducenti quandoque simul: et super illud ponitur emplastrum quoddam,
"de melle et recenti simila vel farina ex adipe frumenti factum et confectum:
"et ab illo vermes ipsi sugunt, et fomentum suum accipiunt, alias deberent
"eamdem usque ad mortem torquere: et si hujusmodi farina vel adeps antiqua
"esset et non recens, vermes illi emplastrum illud non sugerent neque co-

1) Verba: *vicissim.... postea frigus* desunt in textu Hollandico.

2) In Hollandico additum: *nocte*.

3) Verba: *per septimanam* desunt in Hollandico.

4) Verba: *et de.... evomit et emittit* desunt in textu Hollandico.

5) In Holl: *stanneae*.

"uterentur. Omnia ista probata sunt et per experientiam sic inventa ¹⁾ [et
"foramina jam clausa sunt].

"In qualibet etiam quindena, memorata virgo et puella recipit sacra-
"tissimum et venerabile Eucharistiae sacramentum: et oportet ut Sacerdos, ipsam
"communicans, subtilitate utatur et solertia, cum eam communicat; quia alias ipsa
"Eucharistiam neque sumere neque deglutire posset. Et tunc dat sibi valde parum de
"aqua: quam etiam non bene trajicere seu deglutire potest, sed primo per tempus in
"guttura ejus gargarizantium ad instar eructuat: et interdum nullam aquam sibi dat,
"propter trajiciendi eamdem seu intus sumendi difficultatem. Insuper ista virgo et
"puella ab inferius usque ad ventrem est omnino et totaliter putrefacta: et oportet quod
"cum quodam cussinulo [implete lana, ad quantitatem manus], ²⁾ ad hoc specialiter
"facto, obstruatur: alias intestina ejus [ac inferiora], ³⁾ deberent penitus excidere.
"Et sic in veritate mirabilia et portenta, quae in virgine et puella memorata
"facta sunt et adhuc quotidie fiunt, nimis magna et adeo multa sunt et varia,
"quod clare et ad plenum scribi seu calamo reserari non possunt. Fuit etiam
"saepe-dicta virgo et puella quatuordecim ⁴⁾ annorum, quando infirmitas ei
"primo accedit et advenit.

"Et quia nos Balivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini et Consules
"supradicti, bene et ad plenum sumus de omnibus particulis antescryptis infor-
"mati et certificati, imo quotidie bene percipimus [et certificamur ⁵⁾], idcirco
"praesentes litteras pro evidenti et veraci testimonio, sigillo nostro, quo ad
"causas utimur, extrapendente, sigillamus, ⁶⁾ anno Domini millesimo quadrin-
"gentesimo vigesimo, ⁷⁾ in Vigilia B. Mariae Magdalena, mensis Julii vigesima
"prima die."

Et quoniam praenominatam virginem nos etiam vidimus, illaque nostrae
ditionis est, in rei documentum has litteras per modum *de vidimus* sigillari
fecimus, annulo nostro hisce appenso, quum sigillum nostrum hoc tempore non
suppeteret, anno Domini supradicto, quinta die Augusti.

[Ex *Memoriali* quodam anni 1421, in Archivio Regni Nederlandici servato, Cas. N. pp. 24vso
et 25. — Textus Latinus, paucis exceptis, in *Actis Sanctorum* Bollandianis, Tom II Aprilis,
pagg. 305—306.]

1) Verba: *et foramina jam clausa sunt* desunt in textu Hollandico.

2) Verba: *implete . . . manus* desunt in textu Hollandico.

3) Verba: *ac inferiora* desunt in textu Hollandico.

4) In textu Hollandico: *undecim*, sed perperam; nam Latinus textus concordat cum Brug-
manno et Thoma Kempensi.

5) In Hollandico desunt: *et certificamur*.

6) In Hollandico praeteritum tempus: *sigillavimus*.

7) In Hollandico textu: *vigesimo primo*.

B.

Processus verbalis de effosione et translatione reliquiærum.

In nomine Sanctæ et individuae Trinitatis. Amen.

1. Cum publice notus sit Schiedamensis civibus sepulturae B. Lidwinæ locus, in sacello olim parietino et cancellis distineto, ad australem partem ecclesiae parochialis juxta ostium laterale templi, ubi propendet vitrea, vitam Divæ depictam ostentare solens, rhombis quibusdam picturatis adhuc extantibus: *Joannes Baptista Grammay*, elevationem ossium dictæ Virginis aggressurus, de mandato Reverendissimi Patris Commissarii, adhibuit sub finem Augusti 1615, in Hollandia agens, in consilii societatem P. *Jacobum Joannis Amsterdammensem*, pridem Guardianum Fratrum Minorum Trudonopoli, *Erasmumque Paschasii*, Presbyterum Canonicum Arnhemensem, qui usque ad finem processui interfuerunt: communicato etiam negotio P. *Marco Tempelio*, Societatis Jesu in Hollandia Superiori, *Eduardoque Pottero*, viro nobili, tractoque in partes suas *Joanne Muyhrykio*, consule primario oppidi Schiedamensis, aggressus est emptionem sepulerorum Divae [Lidwinæ] et vicinorum, medio *Arnaldi Jansonii* et *Margaritae Bertels*, conjugum, Roterodami habitantium, idque ne plebi empatio per extraneum facta suspecta esset.

2. Sciendum autem, sacelli, inter duas templi columnas a pariete nonnihil eminentis, longitudinem dumtaxat fuisse quae est duorum sepulerorum cum medio; latitudinem similiter capacitatem universim sex sepulcrorum aut circiter, pedibus octo pro sepulcro in longum, tribus in latum supputatis; in cuius capite altare erat Sanetissimæ Trinitati sacrum, et ante illud juxta claustra sacelli sepulcrum B. Lidwinæ elevatum: ad quod obsessos et languentes curatos, oppidumque Divae interventu liberatum a morbis et necessitatibus, superstites, etiam haeretici, meminerunt ac retulerunt publice. Ceterum sepulcro, quod prominebat solo aquato, et ipso ecclesiae pavimento a paucis annis ad pedes septem elevato, disjecti sacelli claustris, nihil B. Lydwinam redolens, praeter vitream dictam, apparebat.

3. Empto itaque sepulcro Virginis et vicino loco, ut dictum est, die XXII Septembris anni ejusdem, paulo post prandium, ad fissionem itum fuisset, nisi quidam Catholici, quod opinamur, consilii hujus ignari, corrupto pecuniis fossore, turbarum aliquid excitassent: re enī divulgata, et misso in carceres fossore, expedientius visum rem differre tantisper. Tandem sopitis omnibus, post varias ultro citroque commeationes per dictos *Gramay*, *Jacobum*, *Erasmus*, et con-

judges, advocatus per litteras *Tempelius* et *Nicolaus Hereng*, Canonicus Lutensis, ad assistendum adductus, ad diem XV Decembris (quamvis duo posteriores non comparerent) testibus dicto *Jacobo* et *Erasco* presbyteris, *Eustasio Reynierssen Bos*, multisque laicis, ad apertioem sepulcri itum est, ut in speciem sub terra cavea aliqua sepulcralis extrueretur, quod et factum per *Judocum de Vlueg* fossorem et *Cornelium Joannis* caementarium juratos oppidi.

4. Dum autem ex industria protrahitur fossio, donec populus qui de sacello et de sepulcro superius relata profitebatur, dilapsus esset, post fissionem circiter octo pedum, apparuit vetus pavimentum templi et terra compactior, et, quod apparebat, diu non mota. Ulterius autem fodiendo apparuerunt fundamenta muri in longum, quo sacellum fuerat conclusum, et juxtim sepulcrum lapideum operis lateritii, quod superne et non uno loco conformatum, terram arenamque admiserat. Quod aegre dissolventes operarii, ossa quae sparsim inter ipsa rudera terramque reperiebantur ejecerunt: quae testibus supradictis collecta, in saccum contractum sunt reposita et elata: sepulcrumque in ipso loco ex novis lapidibus mox est confectum et conclusum, ruderibus antiqui sepulcri impositis. Dicta autem ossa, cum lapidibus aliquot ex medio sepulcri extractis, in quibus verosimiliter lumbi quieverant, in cistam, decenter adornatam, a *Gramayo* sunt recondita et obserata, et sic in Brabantiam transportata.

5. In quorum omnium ita gestorum fidem praesens scriptum nos infra scripti testes et spectatores manu sigilloque nostro munivimus. Actum in Haga Comitis die XVIII^a Decembris 1615. Ad majorem Dei omnipotentis gloriam.

Fr. Jacobus Joannis, Ordinis Fratrum Minorum, a Reverendissimo Patre Commissario ad hunc actum deputatus, in fidem et testimonium veritatis suprapositorum haec scripsi et subscrpsi.

Et ego Erasmus Paschasi, Presbyter, Canonicus Arnhemensis, quia actui elevationis translationisque cum aliis rogatus interfui, omniaque ut in processu verbali, per R. P. Jacobum scripto narratur, fieri vidi, praesens instrumentum manu sigilloque meo notavi. † Eras. Paschasi, Pr.

Joannes Baptista Gramay in fide similiter subscrpsi, adjecto sigillo meo gentilitio. †

Testes inter alios translationis ex Hollandia, subscrpsierunt in fidem:

Christophorus le Ceigne, Clericus Cameracensis.

Nicolaus Hereng, Canonicus Lutensis, Presbyter.

[Ex *Actis Sanctorum Bollandianis*, Tomo II^o Aprilis, pagg. 365—366].

C.

*Status reliquiarum Corporis B. Liduinae Virginis, praecedenti
documento annexus.*

1. Petierat virgo morti vicina caput suum velari mitra pargamenacea *, crucibus insignita, teste scriptore vitae Teutonicae, pridem edito.

* Pars exigua (istius mitrae) cranio adhaerens reperta: in parvo scrinio cum parte capillorum defertur.

2. Capiti etiam mandaverat pulvinar stramineum * supponi, corpusque, ne terram contingeret, lignis suppositis elevari, teste eodem.

* Etiam stramen firmiter capillis adhaerens videtur cum admiratione.

3. Sepulcro imposta fuit * lapideo, ante altare sanctae Trinitatis, in sacello Orientali ecclesiae parochialis S. Joannis Baptistae Schiedami, teste eodem.

* Idipsum repertum est, et lapides aliquot cum terra referuntur, e quibus statuae possint confici, si ita Principi visum, totiusque templi delineationem, et sacelli tumulique, cerâ expressum, typum defert Decanus Lotosensis.

4. In dicto sacello, Catholicorum tempore nemo unquam fuit sepultus: sed nobiliores oppidi et territorii in ambitu sacelli, devotionis gratia, sepulturam eligabant, testibus sarcophagis extantibus, et codice * Libitinario, ubi annotati omnes et singuli ab octuaginta annis in templo sepulti.

* Codicem omnibus patentem Decanus Lotosensis, Guardianus Trudonensis, Eustatius Reyneri, Arnoldus Joannis et alii legerunt et examinarunt, ante et post emptionem sepulcrorum.

5. Tempore haereticorum ecclesia tota ad septem et amplius pedes elevata est pavimento tenuis, ipsumque sacellum Divae, in quo a septem annis, ad latus sepulchri Beatae, duae * feminae tantum sunt tumulatae, teste eodem codice. Fossa tamen sepulcralis earum non excessit profunditatem quatuor pedum: adeoque fuit veteri pavimento templi altior: idque conformiter statutis istius loci, extantibus in codice matriculariae.

* Feminarum dictarum omnia ossa, in praesentia testium in processu nominatorum, sunt, uti et ibi narratur, reperta et ejecta in coemeterium cum reliquiis cistarum, in quibus jacuerant.

6. Ad latus altaris pictura erat Divae, * ab Angelo ramum olivae accipientis, et Crucem laeva tenentis, testibus quotquot sunt quadragenarii cives Schiedamenses.

* Extat apud chalcographum Antverpiensem ad exemplar hujus imago sculpta, et chartae impressa passim habetur.

7. In vitrea sacellum illuminante, depicta erat vita * et miracula Beatae: illudque de naufrago adhuc superest cum aliis partibus.

* Vitream hanc, rudi pictura repraesentatam, defert Decanus Lutosensis.

8. Supra aram imago Divae erat, stantis, coronatae, Crucem in pectore gestantis, testibus eisdem.

* Eiusdem formae unam, ex lapidis sepuleralis comminuti et coagulati parte, imposuit feretro Decanus.

9. Ad parietem ecclesiae eadem depicta erat lecto decumbens, implorantibus opem ejus diversae conditionis et sexus hominibus, suspensi ex ferro prominente cereis membris, navibus, personis, ad memoriam * curatorum ejus interventu.

* Miracula plura patrata et narrata testibus elevationis, si visum Celsitudini suae, poterunt auctoritate Vicarii Apostolici, auditis iis qui viderunt, registrari.

10. Ex supellectili ejus adhuc superest pecten deformis,
in manu privati in Hollandia et suo tempore poterit haberi.

laterna vetusti operis,
eam Pater Wiringus, in Collegio Societatis Mechliniae agens, a vidua Verburchtii accepit, cum promisso de restituendo (et servandam tradidit Domui Professae Antverpiae, ubi ea adhuc in sacrario visitur).

crux et cinguli pars.
quam intelligo a Vicario Apostolico vindicatam.

11. Sepulcri ejus ante aram orificium, aliquot pedibus supra terram, erat tectum lapide magno, * effigiem Divae insculptam ostentante, quem haeretici, templi pavimentum elevantes, sperantes memoriam Divae tollere, inverterunt.

* Lapis hic adhuc superest: et, si opus, haberi potest.

12. Supra lapidem limbus lapideus cavitatem faciebat, in quo reclinati obsessi * et languentes, liberati pluries fuerunt, testibus qui supersunt, senioribus.

* De liberatis obsessis tempore Pastoris Schiedamensis defuncti, poterunt etiam audiri testes auctoritate Vicarii aut Nuntii Apostolici.

13. Ossibus minoribus consumptis, majora cum capite supersunt, feretroque seu cistae sunt a Decano Lutosensi imposta, longitudinis duorum pedum cum medio, altitudinis sesquipedis et latitudinis fere paris, quae interius vestita viridi sattino arculam ad latus habet minoribus servientem Reliquis, et extrinsecus vestitur corio deaurato: ipsa autem sacra ossa byssῳ sunt involuta, cum duobus lateribus e medio sepulcri acceptis, teste processu verbali.

[Ex Actis Sanctorum Bollandianis, Tomo II Apr. p. 366].

D.

Testimonium R. P. Francisci Paludani.

Je soubsigné Guardien du Conuent de St. françois en Bruxelles, certifie par cestes, qu'estant en holande a la pentecouste passée, y enuoyé par mes supérieurs pour quelques affaires concernants n^{re} ordre, me suis transporté vers la ville de Schiedam, par Commandement Express de n^{re} R. pere Prouincial, pour m'enquerester du culte ou office qui pourroit auoir esté faict par cy devant à l'honneur de La Bienheureuse Vierge S^{te} Liduine, laquelle y at tousiours estée en grand honneur, et tenue pour grande S^{te} ce qui est notoire à tout le monde; Et quand est du culte ou seruice faict à son honneur, n'ay peu entendre autre chose des Catholicques d'icelle ville, et du R. Père de l'ordre de St. Dominique y résidant, sinon que sur sa sepulture at esté une chappelle avecq autel, auquel l'on soloit dire la messe à son honneur, Et Bénire du pain le mardy apres pasques à son honneur, qui estoit et est encores fort recherché du peuple qui trouuoit et troue soulagement en le mangeant contre les maladies, et nomment fiebures, come aussy beuant de l'eau du puit, hors lequel la S^{te} soloit boire, Et que tous les ans encores au mesme jour la benediction de pain se faict, Et son jour est célébré des catholicques, Et la messe se dit à son honneur, et priuement les prebistres, qui y sont demeurez durant les heresies, soloient reciter l'office à son honneur, Et le dit pere dominicain le faict annuellement, mais n'auoient aucune assurance que d'anciennete les heures canonicales, seroient esté publicquement chantees ou dictes en l'Eglice d'icelle ville à l'honneur de la dicte S^{te}; tesmoing mon seing manuel cy mis ce 6. de may, 1628.

f. Fran. Paludanus
guardien indigne.

Latina interpretatio.

Ego infrascriptus, Bruxellensis Conventū Sti Francisci Guardianus, hisce fidem facio, tempore postremō celebratae Pentecostes me in Hollandia degentem, eò a Superioribus meis missum propter quaedam negotia, Ordinem nostrum concernentia, civitatem Schiedamum adiisse, expresse sic jubente Nostro Rev. Patre Provinciali, ad inquirendum de cultu vel officio quae antehac forte exstitissent in honorem Beatae Virginis Sanctae Liduinae, quae ibi semper magno in honore fuit et pro magna inter Sanctas habita, quod cuique notorium est. Et, quatenus ad cultum vel officium in ejus honorem, non aliud ex illius civitatis Catholicis et Rev. Patre Ordinis S^u Domini, ibi residente, comperire

potui nisi haec: supra illius [virginis] sepulchrum fuit sacellum cum altari ad quod altare in ejus honorem celebrari solebat Missa, et feriâ tertîâ post Pascha in ejus honorem panis benedici, quo valde frequenter utebatur et adhuc utitur populus qui illo manducando solamen experiebatur et experitur contra morbos et speciatim contra febres, sicut etiam bibendo aquam putei, e quo ipsa Sancta bibere solebat. Et quotannis adhuc eodem die panis benedicitur et dies illius [virginis] a catholicis celebratur et Missa in ejus honorem offertur, et Sacerdotes qui ibidem manserunt per haereseon tempora, in ejus honorem officium privatim recitare solebant. Et praedictus Pater Dominicanus id singulis annis facit, sed nullo argumento certi erant, in ecclesia illius urbis olim horas canonicas in praedictae Sanctae honorem publice cantatas vel recitatas fuisse. In quorum fidem sigillum meum manuale hisce appositum, hac. 6^a Maji 1628.

f. Fran. Paludanus,
Guardianus indignus.

[Ex Archivio Conventus Carmelitidum Discalceatarum Bruxellensis.]

E.

APPENDIX

"per Magistros Fabricae ecclesiae Schiedamensis."

. 401. Hoc opus, Dei favente gratia, expletum Schiedammis anno MCCCCXCVIII, ad individuae Trinitatis honorem, nec non ad almae Virginis Lydwinae Schiedammitae precipue, impressum: cuius historiographus Fr. Joannes Brugman, Ordinis Observantium, praedicator prius extitit egregius, qui ob singularem devotionem, qua erga eam post obitum officiebatur, hanc edidit historiam.

402. Nos etiam Hollandini, speciali ex praerogativa victoriae, nobis a Deo in die Valentini nobis intra muros Schiedam collatae, adstringimur, eam laudibus attollere: ex quo satrapae Domicelli Wittenhorst, ab Hollandia stipendiati, in vexilliferos Hollandiae, immerito conspiravere, nec non eorum Comitatum funditus evertere conati sunt; ut eorum facultates, vinciendo eos et incarcерando, tandem potuissent adipisci. Sed eorum conjurationis scelus omnipotens Dominus benedictus interemit. Cunctis Hollandrinis hora septima, sole vespertino vescentibus, quaedam matrona Zelandina supervenit Dei nutu; ex qua tubicen Domicelli Wittenhorst horae circumstantiam sciscitabatur quae mox ait: „sevēne is.” Intelligens „Nēghene,” extulit vocem, suos concite advocans complices: „Wittenhorst, Breroe” ad astra ferentes. Hollandini, id genus clangoris ignari, nil mali suspicantes, ex insperato attoniti, e regione vociferantur longe lateque: „Hollant, Hollant.” Effectus belli dubius detinebatur; bus bas ultiro citroque, ex eorum mortariolis sagittisve, resonantibus in astris, ut quisque horripilationem consequi videretur. Tandem Deo optulante, Hollandini Victoria potiti sunt. Nocte circa horam fere nonam, satellitibus fugitivis, Rotterdammenses adversarii nostri adventantes, ad duos ictus balistae oppido Schiedammensi applicuere.

403. Non est praetereundum silentio, quomodo praefatae Lydwinae Virginis veneranda intercessio, coram Superis salutariter effusa, sit pro nobis exaudita: quare Magistri fabricae S. Joannis Baptistae Schiedammensis has impensas fecerunt: ut viri docti, qui eloquio Latino plus gaudent, vulgari uti dedignantur, haec edita, licet ingenio rudi confecta, non canino morsu rodere, sed columbino mentis oculo voluntare dignentur. Si indies advenarum concursus intuerentur, qui ab eorum infirmitatibus et defectibus corporalibus curantur, non latrarent saepissime rabido ore. Quocirca rogatos vos facimus,

nomen hujus Virginis undique significare, extollereque coram magnatibus velitis, ut demum in numero Sanctorum Sancta nuncupetur. Nos Schiedamenses, egeni et inopes, non sine gravibus expensis poterimus a Domno apostolico ejusdem Virginis canonizationem impetrare: et jam nos ipsos impotes cernimus et prorsus nobis impossibile factu appetet, imo penitus constat.

Ad doctos, Latine peritos, refugimus, freti sua humanitate et benevolentia, ut post hac coram principibus et nobilibus, et ignobilibus divitibus circumquaque degentibus, Virginis Lydwinae nomen amplificetur: Deus, qui est remunerator omnium bonorum, in sua gloria eis retribuet.

Valete cuncti feliciter. Ex Schiedam, ad S. Annam.

[Invenitur in calce tertii a Brugmanno de Vita B. Liduinae compositi operis, Schiedami primo editi anno 1498, et in *Actis Sanctorum Bollandianis*, Tomo II Aprilis, pagg. 305—306].

F.

Narratio trium miraculorum.

Sed jam ad comprobandum hujus virginis sanctitatem, dignum omnino videatur, in fine libri adnectere de multis signis tria notissima miracula, ad honorem Dei et istius sacrae virginis laudem: quae ex fide dignorum perhibentium testimonium sanctitati ejus, verissima probantur, et per ora multorum referuntur, breviter, Deo cooperante in Hollandia facta.

Primum miraculum.

Fuit in civitate Delfensi virgo quaedam, quae octo annis continue lectum tenens, graviter aegrotavit. Hanc quatuor magistri in medicina periti et famosi nominati visitabant; et humana pietate permoti, magis autem amore Dei inducti, succurrere ei cupiebant. Erat autem aegritudo istius virginis praedictis jam magistris omnino occulta: nec aliquis eorum poterat dare aliquod remedium, quod potuit aegrotanti prodesse. Inter quos unus magistrorum, magister Wilhelmus Sonderdane, doctor approbatus, multum admirans dixit virgini praedictae: tu nondum tanto tempore passa es tantos dolores sicut felix illa virgo Lidevvigis: propter cuius merita, jam Dominus facit multa miracula in partibus nostris. Virgo igitur aegrotans haec audiens, ex propria devotione, aut potius divina inspiratione accensa, legit tot orationes dominicas (*Pater noster vulgariter dictas*) quot sunt membra in corpore hominis, ad honorem Dei et istius sanctae Lidevvigis virginis. Contigit ergo post haec, quod felix Lidevvigis virgo apparens visitavit virginem languentem, dando ei remedium artis medicinae, et veraciter curata surrexit sana, ambulans, comedens, et opera sanarum virginum exercens. De quo magister supradictus valde stupefactus, hoc ipsum verissimum esse testatur.

Secundum miraculum.

Secundum miraculum contigit Goudae, in notissima civitate Hollandiae. Erat ibidem in claustro virginum monialis quaedam, quae habebat contractionem nervorum in una tibia: cuius tibia ita fuit incurvata et contracta, quod ire non

poterat: nec eam quovis modo ad longitudinem alterius extendere ad spatium duarum palmarum. Ista libenter visitasset medicum istum magistrum, Wilhelmum Sonderdanc praenominatum (qui antea unam de eadem domo in Delft sibi transmissam, cum remedii artis suae, et Dei gratia auxiliante, in spatio octo septimanarum curavit) sed a superioribus suis non poterat licentiam obtinere. Contristata igitur, flevit amare pluribus diebus, quia clauda maneret omnibus diebus vitae suae, ut aestimabat, sic existens male contenta. Tandem venit felix illa virgo Lidevvigis de nocte, loquens cum ea et dicens: quod impetraret a sororibus, ut quaelibet monialis illius domus legeret quinque *Pater Noster* et *Ave Maria*, ad honorem Dei et ipsius virginis Lidevvigis; atque in Dominica die in propriam ecclesiam se portari faceret, sique sanitatem tibiae claudae recuperare deberet. Quod incunctanter actum est. Nam, licentia a confessore suo obtenta, portata fuit ad ecclesiam, ut Lidevvigis ei per revelationem dixerat: et sub Missa subito perfectam sanitatem tibiae suae acquisivit, per semetipsam laetissime exiens, ac gratias maximas Deo referens, qui per merita hujus felicissimae virginis Lidevvigis, istud miraculum operatus fuerat.

Tertium miraculum.

Tertium vero miraculum Leydis contigit, in oppido celebri partis Hollandiae. In hac populosa civitate fuit virgo religiosa, quae habuit in collo duritie cancerosam, ad quantitatem magni pomi: sic quod nec bibere aut comedere poterat, aut se inclinare; quin volebat suffocari, ex nimia angustia anhelitus. Ista venit nudis pedibus et sine lineo ad sepulchrum praedictae sanctae virginis, pro auxilio impetranda sanitatis: quo non obtento, recessit cum magna tristitia, ignorans quae bona sibi essent ventura. Nocte sequenti post recessum suum a sepulchro, et somno habito expergefacta, fuit plene curata ab illa cancerosa duritie, quam passa fuerat octo fere annis, sicut notum est multis. Hanc virginem miraculose curatam, supra memoratus magister Wilhelmus Sonderdanc, doctor in medicinis, oculis suis vidit, et collum ejus manibus tetigit: qui etiam testimonium fidelissimum perhibet scriptis suis de omnibus praemissis, dicens: "Testor Deum, quod ista tria acta sunt in brevi tempore: sed et alia plura, quae vidi oculis meis, longum esset enarrare." Haec supra scripta miracula contigerunt, Deo innovante signa in diebus nostris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo: praesidente in sede Apostolica Sanc-tissimo Papa Nicolao quinto, Pontificatus ejus anno secundo.

[In *Vita B. Lidewigis*, a Thoma Kempensi descripta, (Lib. II. C. XXIII) et in *Actis Sanctorum Bollandianis*, Tomo II Aprilis, pag. 302.]

G.

Litterae Mathiae Horii, Archiepiscopi Mechliniensis.

Mathias, Dei et Apostolicae Sedis gratia, archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Cum juxta morem Ecclesiae teneantur Christi fideles omni veneratione sacras Beatorum reliquias, quae habitacula S. Spiritus, et hospitium felicium animarum in hoc mundo fuerunt, prosequi, ne interim fraude et imposturae circa eas erroris dent occasionem et scandali, praecipit Sacrosancta Tridentina synodus nullas publice honorandas exponi, nisi ab Ordinariis loci de veritate earum cognoscatur. Cum itaque, ex parte serenissimorum Principum nostrorum nobis fuerit expositum, qualiter ossa sive corpus B. Liduinae ex potestate haereticorum vindicaverint, idemque per sacerdotes et testes idoneos exhumatum, elevatum, et Bruxellam, Dei favore, sit translatum: Nos, visis auditisque processu verbali, et depositione testium, miraculorum multitudine, tam ipsa vivente quam post obitum, ejus interventu patrata, consideratisque quae in similibus considerari solent et debent, auctoritate nostra ordinaria permittimus dictas B. Liduinae reliquias cum ceremoniis et honore debito exponi, et Christi fidelibus venerandas proponi.

Quod ut studiosius fiat, omnibus Christi fidelibus, ante dictas reliquias, in humilitatis spiritu et corde contrito, preces fundentibus, pro Sanctae Matris Ecclesiae, Principum Christianorum concordia, et haeresis extirpatione deprecantibus, de omnipotenti Dei misericordia, Beatissimae Virginis Mariae, et S. S. Petri et Pauli, nec non aliorum Sanctorum et Sanctarum, intercessione confisi, 40 Indulgentiarum dies misericorditer in Domino elargimur. Datum Mechliniae, sub manu et sigillo nostris propriis, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo sexto, mensis Januarii 14 die.

[Ex Auberti Miraei *Fastis Belgicis et Burgundicis*, Brux. 1622, et ex copia, anno 1671 de autographo transcripta, cum eo collata et sigillo munita ab Episcopo Ruremondano Lance-lotto de Gottignies, deinde impressa in *Actis S. S. Bollandianis*, Tomo II. Aprilis p. 367].

H.

Libellus Supplex Jacobi Boonen, Archiepiscopi Mechliniensis.

Ego Jacobus, Dei et Apostolicae Sedis gratia, Archiepiscopus Mechliniensis, ex antiquorum et recentiorum fide, communi famâ, aliisque documentis, testor quod Leidwigdis sive Ledua, vel Lijdwina Virgo, cuius vitam scribunt Venerabilis et pius Thomas Malleolus a Kempis Ord. Canon. Reg. Divi Augustini, author celeberrimi libelli *De imitatione Christi*, qui cā vivente floruit, Franciscus Brugmans, Ord. Minorum de Obser., Laurentius Surius, Carthusianus, Joes Molanus S. Theol. Lovanii Doctor, in *Natalibus SS^{rūm} Belgii*, cum aliquot aliis, Scheidami, quod oppidum est Hollandiae, modo occupatum ab haereticis, piis parentibus nata, a tenera aetate virtutum omnium specimen dedit. Ad annos pubertatis veniens, induci non potuit ut viro nuberet quae Christum sponsum elegerat. Ab anno aetatis suae decimo quinto usque ad quinquagesimum tertium, cum vivere desiit, nihil praeter dolores et morbos habuit, defluentibus partim, partim marcescentibus intestinis, tota debilis, scatens vermis, igne quem sacrum vocant, uno brachio infecta, mento ad labrum usque fisso, oculo bene caecato, vexante hydropisi, calculo urgente, apostemate premente, cum vomitu aliquando sanguineo. Desperata a medicis, Deo confidens, proximos ad conversionem monens, multis auxilium ferens, omnibus vehementer admirantibus, in omni patientia animam possedit. Totis triginta octo annis, vix tantum comedit panis aut dormiit, quantum homo unus uno triduo. Liberalis in pauperes, in se aspera, cingulo cilicino ad carnem induta, etiam lecto relicto, magno vitae tempore aegrum corpusculum duro asseri incumbere voluit. Miraculis pluribus tam viva, quam mortua claruisse, multa etiam futura praedixisse creditur. Stupenda de illa et quae nonnisi in Sancta reperiri possent, passim referuntur.

Migravit e vita anno Dni millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, cum magna opinione sanctitatis, et videntibus tribus, ut asseritur, in coelum evecta. Sacellum ei honorificum in ecclesia parochiali Schiedami erectum cum altari, et in medio sacelli marmorea tumba, reliquiarum hujus Virginis receptaculum. Historia etiam vitae ejus in tabulis depicta. Annuē, ante bella intestina per Belgium, sacellum et tumba in honorem Virginis exornata, festum ejus cum solemnī sacro de S. Trinitate, et concione de ejus vita et passione, in hebdomada paschali quotannis celebratum. Habuit Conventus Sororum S. Francisci Schiedami, altare in ejus honorem dedicatum. Panes in ejus honorem benedicti, et aqua putei, de quo vivens bibit, febricitantibus prodesse existimantur, et cingulum cilicinum energumenis. Qui adhuc restant Schiedami, sacerdotes, in honorem Vir-

ginis recitare quotannis dicuntur ejus Officium; indubitatum est hanc Virginem, cum magnis sanctitatis indicis mortuam, et tam in vivis, quam a depositione sua, eam passim inter omnes et ab omnibus quibus innotuit pro Beata fuisse habitam et laudatam, ejusque reliquias venerationi fuisse et esse apud populum; quae Belgarum Principibus *Alberto et Isabella* Schiedamo clam Bruxellas translatae, et a piae memoriae Matthia Hovio, Archiepiscopo Mechlinensi, processu verbali, et testium depositionibus praeviis examinatae, recognitae et probatae, in ipsorum Oratorio reconditae, et asservatae fuerunt; nunc vero *Monialium Carmelitidum Excalceatarum* Monasterio in eadem urbe dono datae. Cum autem divina Bonitas, quae est mirabilis in Sanctis suis, suam hoc modo sponsam in terris honorari voluerit, quo cultus hic, qui tempestate bellorum defecit, reviviscat, et majus in dies, Ecclesiae et status publici bono, incrementum capiat, Ego Jacobus Archiepiscopus, qui supra, Sanctissimi Dni Nri et Apostolicae Sedis authoritati et censurae praescripta, cum humilitate submitto, rogoque supplex, ut, attento hoc vitae Lijdwinae Virginis compendio, fideliter ut praefertur descripto, decernat S. Sanctitas eidem Virgini cultum, *Beatis* exhiberi solitum, quod Deo gratum, Ecclesiae decorum, et toti Belgio jucundissimum erit.

In quorum fidem hisce subscripti et sigillum apposui.

Bruxellis, die decima octava Martii, Anno a Nativitate Dominica millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Erat signatum:

† Jacobus Archiepiscopus Mechlinensis. Inferius erat impressum ejus sigillum.

»Concordat cum copia authentica, asservata in monasterio Bruxellensi Carme litarum Discalceatarum, quod attestor Fr. Brocardus a S. Teresia, Carm. Disc. 1^{us} Def. Provincialis.“

Alteram copiam sic subscriptam vidimus, ex ejusdem monasterii Archivio nobis transmissam: »Collata haec copia concordat cum suo originali signato et sigillato, ut supra, quod attestor: J. Blondeau, Not. Apostolicus.“

I.

Testimonium Joannis Molani.

“De S. Lydwige, virg. Schiedamensi.”

Ex autographo Thomae de Kempis et libello Joannis Brugman, et literis D. Cornelii Goudani, cum ex Schiedamo exturbatus migrasset Ultrajectum ad Pastoratum civilis ecclesiae.¹⁾

Schiedami in Hollandia, obitus B. Leduae sive Liidwigis virg. vulgariter Lijdtwijdt dictae. Quae obiit anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, aetatis quinquagesimo tertio, aegritudinum trigesimo octavo. Cujus histriam conscripserunt Thomas Kempenses et Joannes Brugman Franciscanus. Clariuit autem patientissime virgo multis virtutibus, visionibus et miraculis. Sacellum habuit honorificum intra parochialem ecclesiam, et in medio sacelli tumbam marmoream. Historia etiam in tabula depicta cernebatur. Annue praeterea sacellum illud et virginis tumba exornabantur, non die decima quarta Aprilis, sed die quarta Paschatis, et festum ejus celebrabatur cum solenni sacro et officio de Trinitate (eo quod in canonem sanctorum relata non sit a Romano Pontifice) cum concione tamen sub sacro de ejus vita et passione. Habuit quoque conventus sororum sancti Francisci altare consecratum in honorem *Sanctae Lydwydt* virginis, versus occidentem, eo in loco ubi lecto decumbens, Deo in hac vita serviisse fertur. Sed haec omnia hostes fidei et omnis pietatis funditus everterunt anno [millesimo] Septuagesimo secundo, non cogitantes quod cessante vento persecutionis, eadem catholicorum zelo, cum majori gloria Dei et virginis ejus, restauranda forent.

[In Molani opere: *Natalis Sanctorum Belgii*, Lovanii, 1595].

1) Id est parochialis Ecclesiae Stae Mariae Minoris, vernacule *Buur-kerk*, Latine: *civilis* vel *popularis* dictae.

K.

Testimonium Auberti Miraei.

Dicta B. Liduinae ossa, argenteae arcae inclusa, in suo oratorio domestico, Serenissima Isabella Clara Eugenia, Hispaniarum Infans asservat: ex quibus os unum praegrande, cruci argenteae ac vitro crystallino inclusum, anno 1616, ab eadem Infante ejusque marito Alberto Pio, per me Aubertum Miraeum, dono missum est illustri nobilium Virginum Canonicarum Collegio Montensi in Hannonia, quac urbs lue tunc pestilenti laborabat: et die XIV Septembris collocatum ibidem in Basilica S. Waldestrudis, per Henricum Franciscum Busignum, Abbatem S. Dionysii, universo Clero, Senatu ac populo comitante.

Nec pietati merces defuit, cessante nimirum ex eo tempore epidemia.

[Ex Auberti Miraei *Fastis Belgicis et Burgundicis*, ad diem 14^a Aprilis; et ex *Actis S. S. Bollandianis*, Tom. II Aprilis, p. 367].

L.

Litterae Notarii Apostolici J. Du Ternos.

Subnotatus Distributor nobilis et illustris capituli ecclesiae S. Waldestrudis, Montibus Hannoniae, attestatur et verificat omnibus quorum interest, quod anno salutis nostrae 1616, 13 Septembris, Dominus Miraeus, Protonotarius Apostolicus, capellanus oratorii Archiducum Alberti et Isabellae, missus a suis Celsitudinibus, una cum litteris, in comitatu duorum aliorum Presbyterorum, venit ad dictam civitatem Montensem, ad Domicellas Seniores dicti Capituli, gratificaturus et honoraturus ipsas insigni quadam Reliquia S. Lidwynae, argento inaurato inclusa. Itaque ad testandam gratitudinem, aestimationemque doni tam excellentis atque donantium, praedictae Domicellae Seniores decreverunt in pleno conventu capitulari, die postero, qui erat Exaltatae Crucis, faciendam translationem praefatae Reliquiae, cum processione solenni per ipsas Domicellas instituenda, quam comitarentur universus clerus, omnesque Religiosorum Ordines, Senatus ordinarius, Magistratus ac populus: quae processio duceretur ab ecclesia S. Elisabethae ad ecclesiam S. Waldestrudis. Ad cuius processionis egressum, omnibus rite praeparatis, atque Abbe S. Dionysii, Pontificalibus induito, et sacrum depositum manibus tenente, lectum est diploma approbationis, quo permittit Mechliniensis Archiepiscopus venerationem dictarum sanctarum reliquiarum.

Deinde peroravit Dominus Beugmes, dicti Capituli Consiliarius: processumque solennissime est versus praenominatam S. Waldestrudis ecclesiam, facibus cereis circiter sexcentis praeluentibus, Religiosis autem, Presbyteris atque Virginibus Canonicis, singulis singulas ex alba cera candelas gestantibus, altaribus vero, qua pompa ducebatur, variis eleganter dispositis ad stationes habendas. Haec porro omnia fideliter extracta sunt ex collectione et memoriali codice earum rerum quae contigerunt sub Domino Distributore Tahon, manu ejus descripto. Praedictae Reliquiae deferuntur per Celebrantem in ordinariis Rogationum processionibus, aliisque in quibus non circumfertur venerabile Sacramentum. Atque haec verissima sunt: in quorum fidem hisce subjeci signum meum manuale, in qualitate Notarii Apostolici, die XXV Augusti 1670.

J. du Ternos, Not. Apost.

M.

*Litterae Illustrissimi Domini Rovenii, Archiepiscopi Philippensis, i. p. i.
Vicarii Apostolici per confoederatas Provincias ad Rev.
Patrem Tempelium, Provincialem Soc. Jesu.*

Accepi etc. Ego de his quae me concernunt sollicitus, nolui celare R. Vestram, quo pacto a fide dignis intellexerimus, P^m. M** comitatum Dn^o B** et quodam tertio, Schiedami, ope custodis ecclesiae, ossa SANCTAE *Lidwigis* vel *Liduinae* effodisse et secum asportasse, indeque non modicam Schiedami exortam turbationem. Nescio, qua auctoritate id fecerint, cum Nobis a S. S. Domino specialibus litteris sit demandatum, reliquarum in hisce partibus curam habere, ut sine Nostro consensu non asportentur, imo per Nos, adhibitis etiam censuris et poenis ecclesiasticis, constringantur depositarii vel custodes reliquiarum eas reddere Nobis, vel si tales sint ut custodiae ipsorum tuto committi possint, cautione sufficienti Nobis providere debeant ne alienentur.

Velim itaque P^m. M** moneri, ut reliquias illas Nobis restituat, ne alioqui, secundum datas Nobis facultates, contra ipsum et complices procedere cogamur. Debuerint saltem scire, inscio ordinario nihil tale attentandum.

Utrecht, die 11 Nov. 1615 stylo novo.

Admodum R^{dae} Dominationis Tuae deditissimus in Christo conservus
Philippus Rovenius, Vic. Apostolicus.

[Ex manuscripto *Bibliothecae Burgundicae* Bruxellensis, n^o. 11991, inscripto *Acta Missionis Hollandiae*, Tomo II, pp. 84—86].

N.

Litterae Francisci a Rye, Archiepiscopi Caesariensis.

Sequentia scribit R. P. Papebrochius *in Actis S. S. Bollandistarum*, Tomo II^o Aprilis, pp. 367—368.

„Serenissima Principissa praenominata, Isabella Clara Eugenia, piissimo conjuge viduata, anno 1621, cum quidquid a publicis vacui erat otii studiique, rebus sacris impenderet, animum etiam adjecit ad corpus B. Liduinae patentiori cultui exponendum: mandavitque ex ebeno argentoque fieri hierothecas duas, unius formae, quae forma infra plenus describetur et per eas partita depositum sacram, alteram misit ad dilectas suas filias Carmelitanas discalceatas, quibus anno 1607 ipsa cum marito coenobium Bruxellis fundaverat. Cujus rei testes hodieque supersunt litterae Francisci a Rye, Caesariensis Archiepiscopi, qui praefatae Serenissimae Capellanus et Eleemosynarius major erat, hoc tenore:

Franciscus a Rye, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Caesariensis, Serenissimae Principissae Isabellae Clarae Eugeniae, Hispaniarum Infantis, Capellanus et Eleemosynarius major, Universis et singulis praesentes hasce litteras visuris, Salutem in Domino ¹⁾.

Notum facimus et per praesentes attestamur, nos, ex ordine et mandato praedictae Serenissimae Principissae, die 23^a mensis Decembris anni 1626, ad portam monasterii Reverend^{um} Sanctimonialium Ordinis Carmelitarum Excalceatarum nuncupatarum hujus oppidi Bruxellensis, deposuisse sacrum Corpus et reliquias Sanctae Lydouinae in manibus R^{dae} Matris ejusdem monasterii aliarumque Religiosarum ibidem existentium et illud cum omni honore et reverentia recipientium, praesentibus R^{do} Patre Hilario Provinciali praedicti Ordinis, et D^{no} Joanne de Sylvere, praedictae Serenissimae Principissae jocalium Custode. *Et in fidem et testimonium pruessorum praesentes propria manu subsignavimus et sigilli nostri appositione per infrascriptum notarium publicum muniri fecimus. — Bruxellis, anno, mense et die quibus supra.*

† *Franciscus Archiepiscopus Caesariensis.*

De mandato Illust^{mi} et R^{di} Dⁿⁱ mei Dⁿⁱ Archiepiscopi Caesariensis praedicti: Jac. Thibault, Notarius, 1628.

1) Quae *unius* lineae ductu in his litteris Archiepiscopi Caesariensis notantur, a Papebrochio omissa, ex authentico documento, in conventu Bruxellensi servato, addidimus.

O.

Testimonium R. P. Petri de Alcantara de S. Theresia et aliorum.

Les soussignés, père Pierre d'Alcantara de sainte Thérèse, ex-provincial et définiteur actuel des Carmes déchaussés, résidant dans la ville de Bruxelles, le chapelain et confesseur de l'église paroissiale de la chapelle, Jean, Charles, Joseph d'Abremes, et le confesseur de la même église, Corneille Smet, en présence du conseiller du conseil de Brabant van Doorslaer, ayant examiné les parties du corps de St^e Lydwine, Vierge, reposant au couvent des religieuses carmélites déchaussées de la dite ville de Bruxelles, telles qu'elles se trouvent enfermées dans un coffre d'ébène, garni d'argent, au dessus duquel est la dite St^e Lydwine, avec un ange de coté en figure d'argent, d'une main de haut, déclarent d'avoir trouvé dans le même coffre sept insignes ossements et deux autres notables avec une partie des coudes, enveloppés dans un taffetas blanc, garni d'une dentelle d'or, mêlé d'argent, reposant entre deux coussins de la même étoffe. Ce coffre et ossements, leur ayant été produit par la supérieure et religieuses du dit couvent ci-soussignées, les quelles attestent par cette, qu'elles reconnaissent ce coffre et parties du corps de la dite sainte Lydwine, pour les mêmes et identiques pièces qui ont constamment reposées au même couvent. Depuis le 23 Décembre 1626, qu'elles y ont été déposées par l'archevêque de Césarée, François a Rye, chapelain et grand aumônier de feu la sérénissime Infante, archiduchesse Isabelle, comme appert par les lettres originales du dit archevêque, ainsi que par une lettre en copie authentique de l'archevêque de Malines, Jacques, du 18 Mars 1629, ci vues et lues et ci-jointes sub n°. 1 et 2^o. Identité qui est d'ailleurs vérifié, tant par la tradition constante de la maison, qu'en vertu de la possession ancienne, dans laquelle elles ont constamment fait et font encore annuellement l'office double de la dite sainte au 14 d'Avril, déclarant de plus les mêmes religieuses que ce coffre et ossements de la dite sainte ont été transportés par elles et leurs soeurs à S. Denis en France depuis le 10 Juin 1783..... Et reconduits par elles du dit S. Denis à Bruxelles le 25 Juin 1790. Ensuite de quoi le dit ex-provincial et définiteur y a apposé le cachet de son office, ainsi que la supérieure le scel ordinaire de la maison, le tout en présence des personnes, ayant signé cet acte, à Bruxelles, le 3 Septembre 1792.

(Signé) Fr. Petrus d'Alcantara a Sancta Theresia,
ex-prov. def. act. Carm. Disc.

(Signée) Marie Josephine de S. Renaud, Prieure etc.

P.

Litterae Vicarii Generalis Parisiensis.

Nous Joseph, Jean, François de la Grange Gourdon de Floirac, chanoine et vicaire général de Paris, abbé commanditaire de l'abbaye de St. Pierre d'Orbaix, ordre de S. Benoît, Diocèse de Soissons, et visiteur général et apostolique des Carmélites de France, de la Réforme de Ste. Thérèse, certifions, que les reliques de la B^e Lidwine ont été transportées à S. Denis, et toutes les religieuses nous ayant certifié, que les dites reliques avaient été conservées avec vénération dans leur couvent depuis le 23 X^{bre} 1626, et qu'elles en faisaient l'office, nous avons permis de célébrer ce dit office dans ce couvent de S. Denis; en foi de quoi nous signons la présente déclaration, y avons apposé le sceau de nos armes.

Ce trois 7^{bre} 1792.

Signé: l'abbé Floirac.

[Ex Archivio Conventū Carmelitidū Excālētarū Bruxellēnsis.]

Q.

Testimonium Rev. Sor. Theresiae de Jesu.

Je soussignée, Thérèse de Jésus, réligieuse professe du Carmel de Bruxelles, depuis le 14 Octobre 1815, déclare : que la châsse d'ébène, garnie d'argent, qui contient les saintes reliques de la B^{re}e Lidwine, Vierge, est celle qui a été vénérée dans notre Carmel de Bruxelles, dès le 23 Decembre 1626. Je sais cela par la tradition de nos anciennes réligieuses, et aussi par l'attestation ci-jointe, faite et signée par feu notre très-révérend père Ex-provincial, par les très-pieux et savants prêtres M. J. Ch. d'Abremes, vicaire de la paroisse de la chapelle et de M. Corneille Smet, Jésuite et par M. le conseiller van Dorselaer, et surtout par M. l'abbé Floirac, vicaire général de l'archevêché de Paris, ancien supérieur du Carmel de S. Denis, où il permit de dire l'office de la dite St^e Lidwine et toutes les réligieuses de notre couvent royal de Bruxelles signèrent cette attestation. Bruxelles, 17 Avril 1850.

Signé : Thérèse de Jésus,
Carmel de Bruxelles.

[Ex Archivio Conventū Carmelitidum Excalceatarum Bruxellensis].

R.

Testimonia Sancti Alphonsi Mariae Liguorii.

La vera Sposa di Gesù Cristo, Cap. XIII, § 11, n°. 3. „*Santa Liduwina*, come narra il Surio, per 38 anni stette sovra una tavola abbandonata, coperta di piaghe e cruciata da' dolori, e non mai si lamentò di niente, ma tutto abbracciò con pace”. — N°. 9. „Narrasi ancora di *Santa Liduvina*, che un giorno entrò una donna nella sua stanza, e cominciò a maltrattarla colle ingiurie più atroci che posson dirci, e perche la *Santa* se ne stava nella sua solita pace, quella tigre più infuriandosi si pose a sputarle in faccia, e vedendo, che la *Santa* neppure se ne turbava, posesi a gridare come pazza.”

Pratica d' amar Gesù Cristo, Cap. XIV, n°. 5. „*Santa Liduvina* per 38 anni patì continuamente molti mali, febbre, podagra, chiragra, schiranzia e piaghe per tutta la vita; e perchè tenea sempre se ne stava nel suo letto allegra e gioviale.” N°. 6. „Col patire pazientemente i dolori delle nostre infermità, si compisce una gran parte e forse la maggior parte della corona, che Dio ci apparecchia in Paradiso. Ciò appunto fu rivelato a *Santa Liduvina*. Ella, dopo aver patite tante infermità così dolorose, come di sopra si disse, desiderava di morir martire per Gesù Cristo; or mentre un giorno stava sospirando questo martirio, vide una bella corona, ma non ancor finita, ed intese, che quella per lei si preparava; onde la *Santa*, anelando che si compisse, pregò il Signore ad accrescerle i dolori. Il Signore la esaudì, mentre le mandò alcuni soldati, che non solo con ingiurie, ma anche con bastonate molto la maltrattaron. Inde le apparve un angiolo colla corona già compita, e le disse, che quegli ultimi strapazzi vi avean poste le gemme che vi mancavano, e poco appresso se ne morì.”

S.

Fragmentum Epistolae Rev. Matr. Beatricis a Conceptione.

„Votre charité, étant procuratrice de Ste Lidwine, veuillez le rappeler à „notre Infante, et faites tout ce que vous pouvez pour qu'on récite l'office de „la sainte.”

[Ex Archivio Monialum Carmelitidum Excalle. Bruxellensium.]

T.

Testimonium Rev. Matris Priorissae Conventū Bruxellensis.

„Dans une déclaration du Père Pierre d'Alcantara de Ste Thérèse, se lit „le suivant témoignage :

„Identité, d'ailleurs vérifiée par la tradition constante de la maison, qui, „en vertu de la possession ancienne, prouve, que les religieuses ont continuel- „lement fait et font encore annuellement l'office double de la Ste au 14 Avril „c. a. d.: Office du Commun, 1^{er} nocturne de l'Écriture occur. le 2^e et 3^{me} „du Commun des Vierges non Mart.; la Messe (chantée): Dilexisti justi- „tiam.”

„Lors du départ des mères pour St. Denis, l'abbé Floriac, vicaire-général „de Paris et Visiteur des Carmélites, après avoir minutieusement examiné tous „les papiers, leur permet de dire l'office et de faire dire la Messe aussi long- „temps que les saintes Reliques seraient en leur possession. De retour en Bel- „gique, les religieuses obtinrent sans difficulté la continuation de ce privilège, „dont nous avons toujours joui jusqu'en 1861.

„1861. Chaque année au 14^e Avril, on observe au Carmel de Bruxelles la „pieuse coutume d'exposer la châsse dans l'église, de l'orner de fleurs, et de „faire connaître aux fidèles l'Indulgence, accordée à ceux qui vénéreraient dévo- „tement ces saintes reliques.

„Le reste de l'année la châsse se trouve au Chœur ou au Chapître et les „religieuses du monastère l'entourent des hommages de leur respect et de leur „amour.”

[Ex Memoriali Rev. Matr. Conventū Priorissae, ad informationem Parochi Schiedamensis, anno 1871.]

U.

Officium B. Liduinae, quod Jansenistae recitant.

Subsequens in Dioecesi Ultrajectensi recitari poterit ad libitum.

DIE XIV. MAI.

In Festo

BEATÆ LIDUINÆ VIRGINIS.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi Virginum non Mart. praeter sequentia.

In I. VESPERIS & LAUDIBUS.

Hymnus.

Ut semper in suis Deus
Miranda praestat! infima
E faece mundi seligens,
Ut altiora deprimat!

Longis malis exercita
Liduina, tandem Numinis
Agnoscit occultam manum:
Tollit crucem, sese abnegat.

Dextrae, o! Dei mutatio!
Qui nauseam dabat Calix
Jam corde toto sumitur,
Jesuque amore inebriat.

Qui Virginis poenas Deus
Poenis tuis inunxeras,
Fac nos dolores quoilibet
Amore pro tuo pati.

Qui traditum Crucis Pater
Nobis redonas Filium,
Da carnis angores sacro
Commitigari Spiritu. Amen.

Oratio ut infra ad Laudes.

A D N O C T U R N U M.

Invit. Agnum quem sequuntur Virgines, Venite adoremus, Alleluia.

Hymnus ex Laudibus de Communi. Lectio j. de Scriptura occurrente, tribus in unam redactis.

Lectio ij.

Liduina, Virgo Schiedamensis, insignis futura Dominicæ Passionis imitatrix, seculo decimo quarto in lucem edita fuit, die Dominica Palmarum, ipso Sacrificii Missæ tempore dum Passio Domini Nostri Jesu Christi in Ecclesia recitabatur, parentibus, pietate magis quam seculari nobilitate conspicuis. Ab infantia, singulari devotione erga Deiparam Virginem ferebatur: eamque perpetuae virginitatis proposito imitari studebat. Cumque pater tenellam filiam ad conjugium adhortaretur, ipsa ferventi prece a Deo obtinuit, ut in sancto proposito firmaretur, carnis mortificatione id agens, ut species sua, qua placere hominibus posset, periret. Piis conatibus atque gemitibus opitulatus est Dominus, qui castitatem virginis variis aegritudinibus, tamquam lilyum inter spinas, custodivit. Anno siquidem

aetatis decimo quinto, cum fortè per hiemalem glaciem puella incederet, costulam dextri lateris cadendo fregit, quam laesionem continua series morborum & cruciatuum per annos triginta octo secuta est. Febris aestuans, intensus capitidis dolor, hydrops, calculus, verium scaturigo, pulmonum & hepatis per particulas ejectio, & quod tandem morbi genus eam non afflit, omni interim remedio ac requie, sed & ad fundandam humilitatem, animi etiam consolatione destitutam?

Lectio iij.

Post annos probationis quatuor, famulae suae misertus Dominus, animum ejus sic erexit ministerio Joannis Pot, magnae pietatis viri, ut omni deinceps in Deo solo fiducia collocata, ex contemplatione Christi patientis, tota in amorem Sponsi Crucifixi inardesceret, parata jam, si Sponso liberet, immissos cruciatus ad indefinitam annorum longitudinem ferre. Triginta ergo annis continuis lecto tamquam Cruci eam affixit infirmitas, quorum fermè viginti solius capitidis ac brachii sinistri mobilitate peregit; eorū ejus interim sacrosancta Eucharistia ad patientiam stabiliente, debili verò stomacho, ut fertur, omnem alium cibum recusante. Donec cursu peracto, feria tertia post Pascha, absque arbitris, quod quadrienni prece a Deo postularat, & appropinquante morte, ut ita contingenteret, ipsa procurarat, obdormivit in Domino, decimā quartā Aprilis, anno millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, annos nata quinquaginta tres. Variis post mortem miraculis clara, quorum aliqua refert oculatus testis, Thomas a Kempis, illicè cives suos habuit cultores, erecto in Ecclesiā sancti Joannis speciali sacello ad annuam ejus memoriam celebrandam, quam nec jussit nec impedivit Sancta Sedes. Beatae Liduinae aedes, quam desideraverat pauperibus ad refugium deservire, conversa fuit in Xenodochium. Ejus Reliquiae anno millesimo sexcentesimo decimo quinto subductae fuere Bruxellas sub Matthia Hovio, Archiepiscopo Mechliniensi, qui ad vota Archiducum Alberti & Isabellae, edito Pastoralī Decreto, publicum eis cultum impendi permisit.

Oratio.

Domine Deus noster, qui Beatam Liduinam Virginem ab illecebris seculi praeservatam, ad tuae Crucis amplexum toto corde transire docuisti; concede, ut ejus meritis atque exemplo discamus, & perituras mundi calcare delicias, & Crucis tuae amore omnia nobis adversantia superare: qui vivis & regnas.

[Ex Jansenistarum Breviario Ecclesiastico ad usum Metropolitanae Ecclesiae Ultrajectensis et Cathedralis Ecclesiae Harlemensis accommodato, anno 1744 (Parisiis?) Parte Verna].

V.

„Extat hacc oratio in officio B. Liduinae impresso:
„Deus qui beatam Liduinam Virginem ab illecebris sacculi praeservasti, et
„ad Tuae Crucis sequelam toto corde transire docuisti, concede, ut ejus merito
„et exemplo discamus, perituras calcare delicias et in amplexu Tuae Crucis om-
nia nobis adversantia superare. Qui vivis, etc.”

[Ita Hugo Franciscus Heussenius, in *Batavia Sacra*, Parte II. p. 204].

W.

Rescriptum Em^{mi} Cardinalis Praef. S. Congreg. de Prop. Fide.

Ex audientia SSmi diei 16 Septembbris 1869.

S. S. mus Dominus noster Pius, divina Providentia P. P. IX, referente me
infrascripto, S. Congregationis de propaganda fide Cardin. Praefecto, perpensis expo-
sitis, exceptisque votis R. R. P. P. D. D. Archiepiscopi Mechliniensis et Episcopi
Harlemensis, benigne remisit preces cum facultatibus necessariis et opportunis
R. P. D. Internuncio Aplico, qui collatis cum praedictis Ordinariis consiliis, petitam
Reliquiarum B. Ludovinae Virginis partem Oratori concedi curet, Brevi S. M. Pau-
li Vi. aliisque in contrarium quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. P. Congregationis, die et anno suprad.

l. sig.

Al. Card. Barnabò, Pr.

X.

Elenchus praecipuorum auctorum qui de B. Liduina scripserunt.

Omnibus caeteris fortasse prior, quia jam anno 1437, quarto post Liduinac mortem, obiisse fertur, de ea scripsit:

Hermannus Cornerus, Dominicanus, in suo opere: *Chronica Novella*, editio a Jo. Ge. Eccard, in: *Corpus historicum medii aevi*, Lips. 1723, Tomo II. (fol. 1263).

Incensus Auctor, mox post Liduinae obitum, ejus *Vitam* conscripsit. Papebrochius *Joannem Brugmannum* non levi arguento autumavit (*Actt. S. S. Boll.* Tomo II Apr. p. 268). Editum est opus in Jacobi de Voragine *Legendis Sanctorum sive Historia Longobardica*, Coloniae Agripp. 1483, fol. et Lovanii 1485, fol. Exstat in Bibliotheca Regia Hagana (Incunab. P. II, no. 115 et P. I, 104).

Incensus Auctor, judice tamen Papebrochio: *Joannes Gerlaci*, Liduinae cognatus, qui ante annum 1448 scripserit (Libr. cit. p. 268, litt. E. collat. cum. F.); annus primae impressionis hujus operis latet; sat cito tamen impressum fuisse Papebrochio videtur (*Ibid.*). Titulus secundae editionis (Delphis, 1487 in 4° et 1490, in 4°) est: *'T leuen van Liedwy, die Maghet van Scyedam*, vernacula lingua. In Bibliotheca Regia Hagana utriusque editionis exemplar invenitur (Incunab. Part. I. n^{is} 442 et 455).

Joannes Brugmannus, Ord. F. F. Minorum de Observ. ter vario labore et modo *Vitam Liduinae* descripsit.

Prior, si Papebrochio assentimur, ea est quam supra apud Jac. de Voragine indicavimus; si ille erraverit, prior haec deperdita est.

Alteram, eodem judice, ante annum 1448, ex mox nominata vernaculâ, "alisque informationibus, Schiedamo acceptis" digestam, Brugmannus ipse in Prologo commendavit; verba jam suprà retulimus p. 3. E Codice M S. primus typis edidit Papebrochius, notisque instruxit in *Actis S. S. Boll.* Tom. cit. pagg. 270—302.

Tertiam, multo copiosiorem, anno 1456 compositam, anno 1498 magistri fabricae ecclesiae Schiedamensis, splendide typis imprimendam curarunt in 4°, cum figuris xylographicis. Exemplar nitidum hujus rarissimi libri, primi omnium, in quantum scitur, qui arte typographica

Schiedami prodierint, extat in Bibliotheca Regia Hagana (Incunab. P. I. n^o. 547^b). Integrum textum, additis notis, Papebrochius iterum edidit in *Actis S. S. Boll.* Tom. cit. pagg^{is} 303—365.

Thomas Malleolus (Hammerlein sive Hamerken) a Kempis (obiiit 1471) interea, rogantibus sui Ordinis Confratribus, Regularibus nempe Canonicis S^ti Augustini conventū Ruggensis prope Brilam, et ipse duobus Libris *Vitam B. Lideviges Virginis* composuerat, quam ex Thomae autographo primus typis edidit Henricus Sommalius, Soc. Jes. in Collectione *Omnium Thome Kempensis Operum* (Antverp. in 8^o. 1600, 1607, 1615; postea Coloniae Agripp. 1728 et 1759 in 4^o. Integre etiam invenitur in tertia editione (1618 sq.) operis *L. Surii de probatis Sanctorum historiis*.

Incerto auctore anno 1496 linguā vernaculā prodiit: *Der Maghet Liedwy van Scyedam, Leven ende Mirakelen*, Goudae, in 4^o. apud *Fratres Collationarios* sive *Vita communi*.

Edmundus, ut vulgo vocatur, Canonicus Regularis Ord. S. Augustini, in suo *Chronico Magno Belgico* (ad annum 1433). Opus scriptum anno 1498, primo editum a J. Pistorio (*Rerum Germanicarum Scriptores*, Francof. 1607, fol; ibid. 1653, fol; ibid 1654, fol. mutato paulisper titulo: *Rerum familiarumque Belgicarum Chronicon Magnum*), deinde a B. G. Struvio (*Rerum Germanic. Scriptores*, Ratisb. 1726. fol. Tomo III), laudatum et testimonii causa citatum ab Ant. Pagio (*Crit. in Baronii Annales Eccl.* ad annum 1177, n^{is} XVIII et XX).

Albertus Kranzius (obiiit 1517) *Vandalia* (lib. II, Cap. III), Colon. 1519 in fol.; Francof. 1575 et 1580; Hanov. 1619.

Continuator Martyrologii Usuardi, Carthusianus Coloniensis; Bollandus, Henschenius, Papebrochius et Sollerius eum *Grevenum* appellant. Ad Usuardi Martyrologium ejus *Addimenta* prodierunt Coloniae, 1515 et 1512; rursum assumpta a Sollerio in hujus nova Usuardi editione (Antv. 1714, fol.) et in *Actis S. S. Boll.* Tom^{is} VI^o et VII^o Junii. Consulatur ad diem 14^m Aprilis.

Reinerus Snoius (obt. 1537) *De Rebus Batavicis* (pag. 141); liber verna- cule scriptus, sed Latinā tantum linguā impressus in Collectione Fr. Sweertii: *Rerum Belgicarum Annales*, etc. Francof. 1620. fol.

Joannes Molanus (obt. 1585) *a. in Additionibus ad Usuardi Martyrologium* (ad 14ⁿ Apr.). Edid. 1568. Lov. 8^o. min. 1573 et 1577.
b. Indiculus Sanctorum Belgii, Antv. 1583, 8^o. min. (p. 44).
c. Natales Sanctorum Belgii Lov. 1595 in 12^o. (ad 14^m Apr.), Duac. 1616 in 8^o. et ibid. 1628.
d. Chronica Sanctorum Belgii Recapitulatio, praecedenti operi conjuncta (p. 200).

Laurentius Surius (ob. 1578), *De probatis Sanctorum Vitis*, secundae editionis (Colon. 1576—81, in fol.), Tomo VII ad 14^m Apr. Tomus hic, Surio posthumus, additus quidem a Mosandro, *Vita tamen Liduinae* ipsum Surium habet auctorem (Ita Papebrochius, libr. cit. p. 269). Quae vero in *tertia* Suriani operis editione (Colon. 1618 in fol.) invenitur *Lidewigis Vita*, nihil aliud est nisi textus praefati libri Thomae Kempensis, de verbo ad verbum iterum impressus.

Michaël d' Esne, Episcopus Tornacensis, *La vie de la très-sainte et vrayement admirable vierge Ludyvine*, inter aliorum Sanctorum Vitas in unum vol. collectas, Duaci 1597, et seorsim in 12°, Duaci, 1608.

Franciscus Haraeus, *De Vitis Sanctorum*, Antv. 1598 in 8° et Coloniae, 1605 in fol.

Petrus Ribadeneira, Soc. Jes. *Flos Sanctorum, o Libro de las vidas de los Santos*, Madriti, 1599—1601, in fol, opus celebre, saepius recusum et in omnes fere Europae linguas traductum.

Walrandus Caoult, *La vie admirable, tres-sainte et miraculeuse de Madame sainte Ludyvine*, Duaci, 1600, in 8°. et iterum 1601.

Matthias Lambrecht, Episcopus Brugensis, *Historia Ecclesiastica, oft Kerckeliche Historie*, Antv. 1609. fol. (p. 122).

Cornelius Grasius, Carthusianus, *Vitae Sanctorum*, Colon. 1616 in 12°. Tom. II ad 14^m Apr.

Heribertus Rosweidus, Soc. Jes. a. *Het leven der H. Maeghden van Christus tijden af tot op deze eeuw. (Vitae Sanctorum Virginum a Christi temporibus usque ad hoc saeculum)*, Antv. 1626 (pagg. 181, etc,) in 8°; item 1642 et 1696.

b. *Generale Legende der Heylighen*, (*Generales Legenda Sanctorum*) Antv. 1619 fol. 2 vol. (ad 14^m Apr); item 1629, 1641, 1649 et 1686.

c. *Kerckelike Historie van Nederland* (*Historia Ecclesiastica Neerlandiae*), Antv. 1623 in fol. (ad annum 1433).

Aubertus Miraeus, a. *Fasti Belgici et Burgundici*, Brux. 1622 in 12°. (p. 188).

b. *Rerum Belgicarum Chronicon*, Antv. 1636, fol. (p. 378).

Dionysius Mudzaert, Ord. S. Norberti. a. *Kerckelike Historie (Historica Ecclesiastica a Nat. Dni usque ad ann. 1622)* Antv. 1622, fol. (ad annum 1433).

b. *Oorsprongh, Begin ende Vervolgh van het Gheloof ende de Kerckelycke Gheschiedenissen in onse Nederlanden. (Origo, ortus et incrementum fidei et Hist. Eccles. in nostra Nederlandia)*. Antv. 1622, fol. (ad annum 1433).

Arnoldus Raissius, *Hierogazophylacium Belgicum*, Duaci, 1628, in 12^o.
(pagg. 150—151).

Theophilus Raynaudus, Soc. J. *De Martyrio per pestem*, Lugd. 1630,
in 8^o. Liber a Benedicto XIV, quum de Liduina ipse tractaret in opere
De Canon. SS. Lib. III, Cap. XXX, n^o. 7, lectori indicatus.

Anonymus, *Fasti Mariani cum divisorum elogis in singulos anni dies dis-*
tributis, edit. 3^a. Antv. J. Cnobbaert, 1637 in 12^o. (ad diem 14 Aprilis).

Guilielmus Thiersault, Soc. Jes. *Vie de Sainte Lydwine*. Paris, 1637 in 12^o.

Andreas du Saussay, Protonot. Apostolicus, *Martyrologium Gallicanum*.
Paris. 1637. in fol. ad 14^{ma} Apr.

Cornelius a Lapide, Soc. J. (obiit 1637) *Commentarius in Evangelium*
Sancti Lucae. Antv. 1639, in fol. (Ad. Cap. XVI. v. 21).

Maximilianus Sandaeus, Soc. J. *Historiae Staurophilorum libri L*, Colon.
1653, in 4^o. (Lib. XLIII, tit. LII, pagg. 542—544).

Ludovicus Jacobi, Soc. J. *Het wonderlyck leven van de eerbaere, devote*
ende Heyliche Maghet Lydwine (Mirabilis Vita castae, devotae et
Sanctae Virginis Liduinae). Antv. 1657, in 8^o.

Odoricus Raynaldus, Congreg. Or. *Annales Ecclesiastici, Caes. Baronii*
continuati. Romae 1646—1671, in fol. et Col. 1693—1722. fol. ad
annum 1423, n^o. 27; 1424, n^o. 22; 1433, n^o. 31.

Daniel Papebrochius, Soc. J. *Acta Sanctorum Aprilis*. Tom II (pagg.
267—368) Antv. 1675, fol.

(**Andreas de Boeije**) Soc. Jes. *Het Roomsche Martelaren-boek, overghe-*
set uyt het Latyns onlangks uitgeschreven met authoriteyt van den Apos-
telyken Stoel (Martyrologium Romanum traductum ex Latino, nuper au-
uthoritate Apostolicae Sedis edito. Ipris, 1688 (in additamento ad 14^{ma} Apr.).
cum approbatione.

Incensus auctor Hollandus, *Het Nederlands Catholyk Martelaarsboek, be-*
schrevend oor Petrus Opmeer. (Martyrologium Nederlando-Catholicum
conscriptum a Petro Opmero). Auctor nempe, quisquis ille sit, Opmeri
notum opus e Latino in Hollandicam linguam traduxit; sed *Priorem*
hujus vernaculae editionis Partem de suo adjecit; in hac Parte I^a.
quae igitur non est Opmeri, invenitur: *Het Leven van de H. Maagt*
Lydwina (Vitae Sanctae Virginis Liduinae) Antv. [ementito loco pro:
Leidue] 1700, in 12^o. (pp. 289—310).

Adrianus Baillet, *Sacerdos saecularis, plurium sententiâ hypercriticus, Les Vies des Saints*, Paris, 1701, in fol. 8^o et 4^o; altera edit. Paris 1724 fol. (ad diem 14^m Aprilis).

Hugo Franciscus van Heussen, Jansenista, in *a. Batavia Sacra*, Brux. 1714, fol. (Parte II, p. 204).
b. Historia Episcopatum foederati Belgii, Leidae, 1719, fol. (Tom. I, p. 374.)

Timotheus a Praesentatione, Carmelita, *Brandende lampen voor het alderheyligste Sacrament des Autaers, ofte de doorluchtige Liefhebbers van dit goddelijke Mysterie (Lampades ardentes coram Sanctissimo Altaris Sacramento, sive illustres hujus divini mysterii amatores)*. Antv. 1727, in 12^o. (Tomo II, pp. 93—97).

Cornelius van Alkemade, acatholicus, *Beschrijving van de standplaats, oudheden en opkomst der stad Schiedam*, etc. (*De situ, antiquitatibus et ortu urbis Schiedamensis*), manuscriptum, nondum impressum. Autographum nitidissimum possidet eximius D^{ns} J. B. Nolet, oppidi ejusdem Senator.

Benedictus XIV, *De Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione* (Lib. II, Cap. XX, n^o. 16 et Lib. III. Cap. XXX, n^o. 7).

S. Alphonsus Maria de Liguorio, *a. La vera Sposa di Gesù Cristo* (Cap. III, § 11, n^o. 3 et 9).
b. Pratica di amar Gesù Cristo, (Cap. XIV, n^s. 5 et 6).

Albanus Butler, *The lives of the fathers*, etc. sive *Vitae Patrum, Martyrum, aliorumque Sanctorum*, cum auctariis Godescardi et aliorum variis linguis traductae et innumeris fere editionibus per saeculum et amplius notissimae (ad 14^m Aprilis).

J. Görres. *Die Christliche Mystik (Mystica Christiana)*, Ratisb. 1837—1840 in 8^o. (Tom. II. pp. 429 et 582).

Everardus Stephanus van der Haagen, Vicarius generalis Harle-mensis, *Levens der Heiligen, Kerkvaders en Martelaren (Vitae Sanctorum, Ecclesiae Patrum et Martyrum)*, Hag. Com. 1837—1845, in 4^o. (ad 14^m Aprilis).

Dr. A. Maas, acatholicus, in Periodico: *Vriend des Vaderlands (Amicus Patriae)*. Tom. XIII, pagg. 671 et 676 (anno 1840).

A. J. van der Aa, acatholicus, *Beschrijving van Schiedam*, in: *Aardrijks-kundig Woordenboek der Nederlanden (Descriptio urbis Schiedamensis: in, Lexico geographicoo Nederlandiae)*, Gorcomii 1847, in 8^o.

**Joannes Baptista Pitra, S. R. E. Cardinalis, *La Hollande Catholique*,
Paris, 1850 et 1854 in 12°. (Part. I. Cap. X).**

W. Moll, acatholicus, theolog. Professor Amstelodami.

*a. Johannes Brugman en het godsdienstige leven onzer vaderen in de
vijftiende eeuw (De Joanne Brugmanno et nostratum practica religione,
saeculo XV°) Amstelod. 1854. 2 vol. in 8°. (Tom. II. pp. 107—138.)*

*b. Kerkgeschiedenis van Nederland vóór de Hervorming (Historia
Ecclesiastica Nederlandiae ante Reformationem), Ultraj. 1864—1869.
in 8°. (Tom. II. 2, p. 356; II. 3, pp. 159, 199, 293; II. 4, pp. 63,
117, 118, 252, 321.*

**Coudurier, Sacerdos Dioeceseos Bellicensis, *Vie de la Bienheureuse Liduine*,
1862, in 8°.**

Italica versio: *Vita della Beata Liduina*, Neap. 1867.

Hollandica versio: *Leven van de Gelukzalige Liduina*, Hag. Com.
1870, in 8°.

**Fredericus Pösl, Presb. Congr. S. Redempt. *Die reine, leidende und
barmherzige Liebe, dargestellt in den Leben des Seligen Hermann Joseph
aus Köln, der Seligen Lidwina von Schiedam und des Heiligen Johannes
des Almosengebers (Amor purus, patiens et misericors, propositus in
Vitis B. Hermanni Josephi Coloniensis, B. Liduinae Schiedamensis
et S. Joannis Eleemosynarii)*, Mogunt. 1862, in 8°.**

(J. B. Nolet) *De Zalige Lidewy (Beata Liduina)*, Hag. Com. 1864 in 8°.
in: *Levensbeschrijving van Heiligen, Kerkvaders en Martelaren (Vitae
Sanctorum, Eccles. Patrum et Martyrum)*, ed. et cur. eximio Dño
A. J. L. M. Lux, Ord. S. Gregorii Comm. Ibid.